

47  
HISTORIAE HUNGARICAE FONTES DOMESTICI.

VOLUMEN IV.

# CHRONICA MINORA.




- I. CHRONICON POSONIENSE.
- II. MAGISTRI ROGERII CARMEN MISERABILE.
- III. ADNOTATIONES HISTORICAE.
- IV. DUCUM AC REGUM HUNGARIAE GENEALOGIA TRIPLEX.
- V. PETRI RANSANI EPITOME RERUM HUNGARICARUM.

RECENSUIT, ET DISQUISITIONEM DE ANNO NATALI S. STEPHANI REGIS  
ADIECIT

**M. FLORIANUS.**

AUSPICIIS ET SUMTIBUS  
ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE.



BUDAPESTINI 1885.



M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

THE UNIVERSITY OF CHICAGO


PHYSICS DEPARTMENT

1913



HISTORIAE HUNGARICAE  
FONTES DOMESTICI.

VOLUMEN IV.




536 826

VKH→

M. Jört.

O. 1377. 4.

# CHRONICA MINORA.



- I. CHRONICON POSONIENSE.
- II. MAGISTRI ROGERII CARMEN MISERABILE.
- III. ADNOTATIONES HISTORICAE.
- IV. DUCUM AC REGUM HUNGARIAE GENEALOGIA TRIPLEX.
- V. PETRI RANSANI EPITOME RERUM HUNGARICARUM.

RECENSUIT, ET DISQUISITIONEM DE ANNO NATALI S. STEPHANI REGIS ADIECIT

**M. FLORIANUS.**

AUSPICIIS ET SUMTIBUS

**ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE.**



**BUDAPESTINI 1885.**



202949

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

R  
1977



## PRAEFATIO.

Cogitabamus supersedere conscribendis libris historiam hungaricam illustrantibus, quos quia latina sunt, pauci emunt, paucissimi legunt. Sed considerantes, nos sine Chronici dicti Poseniensis accurata cum ceteris iam editis collatione, ne coniectura quidem adsequi posse, quae fuerit primae historiarum nostrarum editionis forma, quaeque sint secutae interpolationes: cessimus amicissimis doctorum Academiae nostrae historicorum persvasionibus, et interrupta quam senectuti nostrae, ingratis laboribus haud parum attritae, concedendam duxeramus, quiete, contulimus chronicon memoratum cum iis, quae lectoribus ex editis voluminibus nota sunt; curante editionem propriis sumtibus Academia scientiarum hungarica. Adiunximus Carmen miserabile Rogerii de vastata per Tartaros Hungaria, — binas Adnotationes historicas, — Genealogias ducum ac regum Hungariae, Epitomen denique rerum hungaricarum Ransani, ut curiosus rerum nostrarum indagator habeat in manibus fere omnia, quae praeter Joannis de Túrócz latina, Henricique a Mügeln germanica, ex vetustioribus annalium nostrorum editionibus reliqua habemus.

Ex compluribus historiae nostrae problematis, quae solutionem expectant, tempore et ordine primum selegimus, annum nempe natalem S. Stephani regis; conatique sumus in hac quaestione diu agitata statuere aliquid, cuius si non certa, saltem probabilis ratio reddi possit. Doctiores preferent meliora.

Reliquum est ut de operibus et auctoribus memoratis pauca disseramus.

I. *Chronicon Poseniense* nomen accepit a Venerabili Capitulo Poseniensi cuius bibliothecae codex adscriptus est. Edidit eum primus Franciscus Toldy anno 1852 Pestini



ex apographo Prayano parum accurato. Recensuit hanc editionem doctissimus Ferdinandus Knauz, deditque improbo labore collectas genuinas codicis lectiones in opere periodico cui titulus: „Novum Museum hungaricum“ anno 1856 pagg. 563—99. Constat foliis 13 et una pagina, scriptusque est ex opinione docti censoris seculo XV-o in finem vergente, nec ipsius epitomatoris manu, sed per minus diligentem librarium, propter plurima, quibus scatet menda orthographica. Opinionem hanc confirmant hiatus; praetermittuntur enim bella per Hungaros sub ducibus in exteris regionibus gesta (pag. 24.), et omittitur post obitum Geizae II-i filius eius Stephanus III. (pag. 34.) Quod non consulto factum esse prodit infelix oscitantis librarii priora cum sequentibus connectendi conatus.\*)

Postquam omnes codicis huius proprietates publici iuris facti sunt, novam eius editionem adornavit idem qui recensionem illam ediderat, academicorum nostrorum celeberrimus Franciscus Toldy, in opere titulo carente, quod tamen *Analecta* vocari ex notis marginalibus discimus. Parum accurata videtur esse haec editio; multa enim mutantur in textu ex arbitrio recensentis, nec raro occurrunt menda primae editionis.

Nos aberrationes calami ubique emendavimus, supplevimusque ex eodem stilo scriptis chronicis, sensum turbantes lacunas. Cetera huic codici peculiaria, quae non solum ferenda, sed ad conservandam eius proprietatem plane necessaria videbantur, dedimus eadem forma, quam ipse codex exhibet. Apposuimus locos etiam ceterorum chronicorum ad rem facientes; quaedam denique adhuc minus nota declarare conati sumus.

Siglarum haec est significatio: A. chronicon acephalum, cuius variae lectiones leguntur etiam Fontium volumine II-o et III-o. B. Chr. Budense. D. Dubnicense. K. Magistri Simonis de Keza. M. Henriçi a Muglen vel Mü-

---

\*) duxit, pro: dux. pag. 24.



geln. S. codex Sambuci. V. Chr. Vaticanum. VP Vindobonense pictum. Ubi vero litera non apponitur, omnes ceteri chronicorum codices intelligendi sunt.

II. Narratio Magistri Rogerii de destructione Hungariae per Tartaros facta „Miserabile carmen“ nominatur, quia auctor ipse *moestos modos* se inivisse declarat;\*) exhibetque formam epistolae ad Joannem, Pësthenensem in Italia episcopum, ut conclusio operis ostendit: „Valeat paternitas vestra.“

Primus ediderat hoc opusculum Mr. Joannes Turócius Brunae in Moravia, et post aliquot menses iterum Augustae Vindelicorum anno 1488. Codicem ex Italia ad nos adlatum fuisse suspicamur; nescimus vero ubi lateat, nec an omnino supersit. Nos lectiones primarum editionum restituumus; secuti enim editores stilum auctoris passim emendare volentes depravarunt. Sic in rubro capitis 34-i „Quomodo (tartari) amplius ad pontem Thome et *alias* processerint“ pro: *et alias processerunt* Et capite 39-o de clade Strigoniensi: „Tartari prescientes quod combusta erant omnia de quibus se ditari credebant, contra *nos* magnam succensi in iram.“ Auctor non fuerat praesens, rem ex testibus oculatis audivit, scripsitque: *contra eos*, scilicet Francigenas et Lombardos. In fine demum operis exhibent interpolatores sententiam plane sensu carentem: „Ut eadem V. paternitas quae prosperitatis meae *sit rota*, sciat et adversitatis quidditatem.“ (Schwandtner.) Editio, quae Endlicheri nomen prae se fert adhuc peius: „Ut V. paternitas que prosperitatis mee *si rota* sciat et adversitatis quidditatem.“ Cum tamen in auctoris verbis apud Turócium nulla sit ambiguitas: „Ut V. paternitas quae prosperitatis meae *scit rotam*, sciat etc.“

Quis fuerit Magister iste Rogerius ex epistola In-

---

\*) Rogo — si de tristi materia et horrenda flebilis, inire compulsus sum *moestos modos* — lector rectam conscientiam falsis opinionibus non supponat. Praef. pag. 46.



nocentii IV-i pontificis data anno 1249 discimus, ubi eum archiepiscopatus Spalatensis dignitate ornat: „Attendentes, quod dilectus Magister Rogerius *capellanus* dilecti filii nostri I. tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri Cardinalis, quem de dono scientiae, ac honestate morum, et conversatione laudabili experta familiaritas reddunt multipliciter commendatum; ad regimen ecclesiae memoratae (Spalatensis) ipsum de fratrum nostrorum consilio praeficimus archiepiscopum et pastorem.“ Cod. Diplom. IV. 2. 57. Is hoc tempore cum suo patrono Cardinali Romae versabatur. Quid vero ante octo annos in Hungaria egerit docet nos Thomas sub eodem archiepiscopo archidiaconus: „Sicque factum est, ut (pontifex) mitteret Apulum quemdam de partibus Beneventanis, Rogerium nomine. Fuit autem *clericus cappellanus* cuiusdam Cardinalis Ioannis Toletani; quem frequenter pro suis et ecclesiae negotiis procurandis in Ungariam mittere solitus erat. Idem autem Rogerius tempore Tartarorum ibidem inventus est, et in eorum manibus incidens inter ipsos per biennium fere sub specie alicuius vilis et pauperis servi delitescens vix evasit mortis incursum.“ Hist. Salonit. cap. 48. Propter voces: „Apulum quemdam“ post obitum praesulis scripsisse Thomam suspicamur, per biennium enim Rogerio superstes fuerat, vita functus anno 1268, postquam Rogerius anno 1266 obiisset.

Qua demum idonea ratione scribatur Rogerius in editionibus recentioribus capituli Varadiensis canonicus, non videmus. Thomas eum antequam in manus Tartarorum incidisset, capellanum Joannis Cardinalis fuisse, et eius negotia in Hungaria curasse scribit; de canonicatu nihil apud Thomam invenimus. Ex verbis capituli 34: „Licet episcopus (Varadiensis) cum quibusdam canonicis exinde recessisset, ego tamen cum remanentibus eram ibi. Et cum castrum ex una parte dirutum cerneretur, amplo muro illud fecimus reparari, ut si civitatem defendere non possemus, ad castrum refugium haberemus.“ (pag.



73.) Et paulo infra eodem capite: „Ego mendicabam, et cui magna donaveram vix mihi eleemosynam porrigebat“ (p. 77.) non sequitur eum re vera canonicum fuisse. Poterat esse procurator in ea civitate Joannis Cardinalis. Episcopum certe in genere; non „meum“ vel „nostrum“ appellat. Capite etiam 27-o „Benedicti Varadiensis episcopi, et *ecclesiae* thesauros commemorat (pag. 64), nullo dato signo arctioris sui cum episcopatu, vel ecclesia Varadiensis nexus.

III et IV. Notitiam de sepulcris nonnullorum Hungariae regum, et Genealogiae codicem tertium industriae doctissimi viri Ferdinandi Knauz debemus. Notitia illa continetur in codice membranaceo seculi XIII Eminentissimi Cardinalis archiepiscopi Strigoniensis, servaturque in bibliotheca ecclesiae cathedralis. Genealogiam idem vir doctus Zagrabiae descripsit anno 1870. Coniunctus fuerat codex cum opere Tripartito Verböczi, anno 1566 Vindobonae edito. Publici iuris factum est utrumque monumentum in opere periodico „Secula“ vocato, anno 1875 pp. 624—684.

Notitia altera de electione novi imperatoris Tartarorum, et nuptiis Stephani Belae IV-i filii cum filia regis Cumanorum celebratis, descripta ex codice Parisiensi Luxemb. Fol. 22. sec. XIII-i, edita fuit in opere collectio cui nomen „Thesaurus, historicus“ Budapestini anno 1878.

Genealogiarum codicem primum, Cornidesianum inscripsimus a celebri antiquitatum nostrarum scrutatore Daniele Cornides, qui apographum codicis regii Parisiensis in Hungariam adtulit hoc titulo signatum: *Extrait de Mss. latins de la bibliothèque du Roi, n. 5941. A. Opusculum hoc edidit M. Georgius Kovachich in libro: „Scriptores rerum hungaricarum minores. Budae 1798. tomo I. pag. 1—10. Nos sphalmata librarii minus attentis passim emendavimus.*

Codicem secundum typis describi curavit Franciscus Toldy, doctorum patriae nostrae virorum quondam



princeps, in opere cui titulum: *Analecta*, praefigere volebat, pag. 65—74.

Tres hae Genealogiae inter se fere similes e maioribus chronicis confectae sunt, et quidem per epitomatores iudicio non admodum acri praeditos. Sit pro exemplo genealogia Colomanni regis et Almi ducis. Hos uno ore Geiza I. rege genitos adfirmant; et tamen paulo infra prius scriptorum obliti, Almun patrem Belae II-i filium Lamperti ducis vocant. Tales genealogicae contradictiones in antiquioribus huius generis operibus, chronicis scilicet Zagradiensi, Varadiensi, et Joannis de Vtino non occurrunt. Scriptores porro harum genealogiarum in regum nostrorum primae stirpis historia se minus versatos fuisse produnt, cum Ladislaum Emerici regis filium „sine prole in fine eiusdem anni quo pater eius mortuus est decessisse“ scribunt. (pag. 105.) Ladislaus secundum quosdam, tempore coronationis suae VII Kal. Septembris anno 1204 puer triennis fuerat; sexennium certe excessisse non poterat; pater enim eius anno 1198 duxerat uxorem Constantiam Aragoniam. Quod autem ad obitum utriusque attinet: mors Emerici contigit pridie Kalendas Decembres anno 1204; quem filius anno 1205 Nonis Maii secutus est.\*) Servata sunt tamen in his genealogiis nonnulla, quae in ceteris chronicis vetustioribus desiderantur: sic coronatio S. Stephani regis anno 1001 facta. De eodem sancto rege perperam quidem adfirmatur in codicibus 2 et 3 vita functum fuisse eum anno 1047, et regnasse annis 46: occasionem tamen praebent, ut de origine annorum 46 regiminis Stephanei apud ceteros annalium scriptores, commodum fieri iudicium possit.

V. Varia fuerunt fata Epitomes rerum hungaricarum per Petrum Ransanum confectae. Dedicaverat eam auctor regi Mathiae, qui morte praeventus opus hoc vidisse non

---

\*) Annales Admontenses ad annum 1205. „Ladezlaus infans moritur.“ Pertz SS. IX. 591.



potuit. Postquam igitur codex elegantioribus characteribus perscriptus fuit, defuncto iam auctore dedicavit eum pro nepos ipsius Cardinali archiepiscopo Strigoniensi Thomae Bakach; post cuius obitum delituit libellus, usque dum Sambucus anno 1558 Maximiliano Bohemiae regi dedicatum Viennae typis edi curavit. Superest adhuc codex magna sui parte mutilus, adservaturque in Museo nationali Budapestini ex quo, et ubi necessum fuit ex prima editione nostram hanc adornavimus.

Librarius codicis scripturam quidem praebet perelegantem, quae tamen mendis abundat plurimis, quia multa nomina propria ab auctore recte scripta male legisse videtur, vocesque perperam, vel bis scriptae nec alicubi emendatae, operam eum mercenariam satis perfunctorie fecisse arguunt. Prima et sequentes editiones in eo differunt a codice, quod dedicationibus binis una cum primo Indice omissis, incipiunt ab indice secundo, desinunt vero in trigesimo sexto. Nos damus, ut ipse auctor disposuerat, triginta septem Indices, cum prima dedicatione et ceterarum parte; nec emendanda duximus nomina propria quantumvis distorta: cum vera eorum facies erudito lectori nequaquam sit penitus ignota. Adnotationes etiam aliquas, ubi res postulare videbatur, adiecimus. Nunc primum prodit opus integrum.

Quod ad personam auctoris attinet, venerat is legatus ad regem Mathiam anno 1488; hoc anno fuit etiam Chronicon Turócii iterato editum, quocum noster plerumque consentire solet. Meminit Ransani Bonfinius occasione exsequiarum regiarum his verbis: „Corpus (Mathiae regis) in temporario sepulcro in media basilica (Albensi) reconditum; ubi e filii instituto quot horis sacri hymni decantantur. Inter sacrificandum Petro episcopo Lucerino viro doctissimo et oratori Neapolitano datum laudandi regis est negotium. Is de laudibus et gestis eius sat ornatam et copiosam habuit orationem.“ Dec. IV lib. VIII. Scripserat Ransanus praeter vitas sancti regis Stephani et Margaritae



virginis Belae IV-i filiae quae his Indicibus continentur, vitam etiam S. Vincentii Ferrerii; cuius editor haec de scriptis eius adnotavit: „Petrus Ransanus Siculus Panormitanus Ordinis Praedicatorum, scripsit vitam sancti Vincentii Ferrerii anno 1455, quo inter sanctos est relatus. Sixtus IV episcopum Lucerinum constituit 1478. Ferdinandus rex utriusque Siciliae filio suo praeceptorem esse iussit. Legatus ad Mathiam regem missus, triennio in Hungaria moratus, historiam scripsit rerum hungaricarum, ubi Vita B. Margaritae, quam Bollandistae publicarunt. Scripsit porro de urbis Panormi antiquitate, et de laudibus Lucerinae civitatis. Vita functus anno 1492.“ Acta SS. April. I. pag. 490. Silentio praeteriit hic editor „Annales omnium temporum“ quorum auctor cum in praefatione, tum in decursu harum de rebus nostris lucubrationum saepius meminit; cuius operis partem, librum scilicet sexagesimum primum constituit haec epitome per Indices descripta.

---



I.  
CHRONICON POSONIENSE.

CRONICA REGNI HVNGARIE.

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

1. Multipharie multisque modis olim in veteri testamento et nunc in<sup>1)</sup> etate sexta seculi diuersas diuersi historias<sup>2)</sup> descripserunt, prout Josephus Isidorus et Orosius<sup>3)</sup> aliique quamplures, quorum nomina exprimere non est opus. Ego autem in illo tempore illius mundi illud opus inchoaui, quando caritas refriguerat, iniquitas habundauerat, et omnis caro ad malum quam ad bonum prompior<sup>4)</sup> erat.

2. Porro cum per cladem diluuii preter Noe et tres qui erant<sup>5)</sup> filios eius, ac uxores eorum, deleta esset omnis caro, tandem ex Sem Cham et Japhet septuaginta duo tribus post diluuium sunt progresse. Ex Sem XX, et ex Cham XXXIII, ex Japhet XXII.<sup>6)</sup> Dum autem tribus iste sicut refert Josephus lingua hebraica uterentur CCI-o<sup>7)</sup> anno post diluuium Nembroth gygas filius Tana ex semine Japhet oriundus cepit turrin construere cum omni cognatione sua, periculum preteritum<sup>8)</sup> attendendo; ut si contingeret diluuium iterari, possent effugere iudicium ulcionis turris interfugio. Diuini vero misterii arbitrata sententia,

<sup>1)</sup> sub. K. <sup>2)</sup> diuers. hist. diuersi K. <sup>3)</sup> et Gotfridus add. K. et S. <sup>4)</sup> prior K. S. <sup>5)</sup> qui er. om. B. S. K. <sup>6)</sup> seriem: Sem Cham et Japhet servant K. B. S. Japhet Cham et Sem. VP cum D. Numerus tribuum hic corruptus. 20 enim + 33 + 22 = 75; debent vero esse ut K. B. S. habent 22 + 33 + 17 = 72. <sup>7)</sup> Pro: ducentesimo. Horányi legit apud Kezam „dicto“; Hevenesi vero: „deinde.“ <sup>8)</sup> predictum S.



cui non potest<sup>1)</sup> resistere humanus intellectus, sic illorum mutauit loquelam ac confudit, ut dum proximus a proximo non posset intelligi, tandem in diuersas regiones sunt dispersi. Fecerant enim in ipsa turri,<sup>2)</sup> sicut refert Josephus deorum templa ex auro purissimo, palacia ex lapidibus preciosis, columnas aureas et plateas diuersimode petris coloratis, et diuersis abstractis<sup>3)</sup>. Et turris ipsa in quadrum est<sup>4)</sup> ab uno angulo ad<sup>5)</sup> alium, habens passuum<sup>6)</sup> longitudinis mille<sup>7)</sup> quindecim, latitudinis totidem; quantitas vero altitudinis finita nondum erat, sed usque<sup>8)</sup> lunarem circulum, secundum cogitacionem illorum<sup>9)</sup> debebat subleuari. Grossitudo autem fundamenti trecentorum passuum erat; paulatim quidem subleuata artabatur, ut prominens<sup>10)</sup> pondus posset leuius sustentare grossitudo fundamenti. Sita enim erat inter Nubyam et Egiptum, cuius antiqualia cernuntur usque hodie euntibus de ynihimbis<sup>11)</sup> Alexandriam.

3. Dimissis ergo<sup>12)</sup> incidenciis que cepte materie (dant)colorem redeundum est ad inceptum<sup>13)</sup>. Nembroth igitur<sup>14)</sup> gigas post linguarum confusionem terram Eulat<sup>15)</sup> dicitur introisse, que regio Persiden<sup>16)</sup> isto tempore nominabatur, ibique duos filios Hunor et Mogor<sup>17)</sup> de Enach<sup>18)</sup> sua coniuge generauit, ex quibus Huni seu Hungari sunt egressi<sup>19)</sup>. Sed gigas Nembroth uxores alias preter Enach habuisse perhibetur, ex quibus absque Hunor et Mogor plures filios et filias generauit. Hy sui<sup>20)</sup> filij et eorum

1) valet B. S. sufficit K. 2) turri ipsa B. S. turri memorata K. 3) diuersiusque astractas K. 4) subleuata add. K. B. S. 5) in B. S. 6) passus B. 7) millia quind. K. S. mile et quind. B. 8) ad add. B. 9) cogitatu illor. B. S. illor. cogit. K. 10) preminens B. S. 11) ymphis B. S. Memphis. K. 12) igitur S. 13) incepta. S. redeundum est ad Menroth. K. Dimissis — inceptum om. B. 14) om. B. 15) Euilath. 16) Persidem S. Perside Persidis. K. 17) scilicet et Magor. B. 18) Enech B. Eueth S. Enee et Eneth K. 19) In margine manu recentiori: „origo Vngarorum.“ 20) sunt. Cod.



posteritas Persiden inhabitant regionem, statura et colore similes Hunis, tantummodo differunt paulum<sup>1)</sup> in loquela sicut Saxones et Turungy. Dum autem Hunor et Mogor filij<sup>2)</sup> Nembroth essent primogeniti, a patre ipsorum in tabernaculis separatim inhabitabant.<sup>3)</sup> + Accidit autem dierum una venandi causa ipsos perexisse, quibus in deserto cum cerua occurrisset, in paludes Meotidas illam insequentes, fugit ante eos, cumque ante eos prorsus euauisset,<sup>4)</sup> diucius requisitam nullo modo potuerunt inuenire.<sup>5)</sup> Peragratis tandem paludibus memoratis, pro armentis nutriendis ipsam inspexerunt<sup>6)</sup> opportunam.

4. Deinde ad patrem redeuntes, ab ipso licencia impetrata cum rebus omnibus<sup>7)</sup> paludes Meotidas<sup>8)</sup> intrauerunt moraturi. Regio quidem Meotida Perside patrie est vicina, quam undique preter vadum unum<sup>9)</sup> pontus giro-uallat; fluuys carens,<sup>10)</sup> herbis siluis piscibus volucris et bestiis copiat. <sup>11)</sup> Aditus illic est difficilis<sup>12)</sup> et exitus. Paludes ergo<sup>13)</sup> Meotidas adeuntes quinque annis ibidem immobiliter<sup>14)</sup> permanserunt; anno vero VI-o exeuntes in deserta loca, sine maribus in tabernaculis permanentes uxores ac pueros<sup>15)</sup> filiorum Wereta<sup>16)</sup> cum festum tube colerent, et coreas ducerent ad sonitum simphonie<sup>17)</sup> casu reppererunt, quas cum earum rebus<sup>18)</sup> in paludes Meotidas rapinis celeribus deduxerunt. Hec fuit prima preda.<sup>19)</sup> Accidit autem principis Dule<sup>20)</sup> Alanorum in illo prelio<sup>21)</sup>

1) parum. 2) om. ceteri 3) incedebant. K. 4) vanisset S. K. 5) inuen. pot. D. potuer. null. mod. inuen. B. S. 6) conspexerunt. 7) omn. reb. B. 8) Meotidis D. 9) paruissimum add K. 10) currens S. VP. D. currentibus. B. fluminibus penitus carens. K. 11) herbis lignis volatilibus piscib. et bestiis K. 12) est add. D. est om. B. illuc diff. K. 13) vero D. autem K. 14) immob. ibid. K. 15) filios VP. K. 16) Bereka B. VP. S. Berela D. Belar. K. 17) Cum fest. — simphonie. om. K. 18) quos cum eor. reb. B. S. VP. quos cum reb. eor. K. 19) post diluuium. add. B. S. VP. D. Hec fuit — preda. om. K. 20) duci cod. Dua. Toldy. 21) om. K.



inter illos pueros duas filias comprehendi, quarum unam Hunor aliam vero Mogor sibi in uxorem sumpserunt,<sup>1)</sup> ex quibus mulieribus omnes Huni sive Hungari originem sumpserunt.<sup>2)</sup> Factum est autem cum diucius in paludibus Meotidis habitabant,<sup>3)</sup> in gentem validissimam crescere ceperunt<sup>4)</sup> nec eos capere ipsa regio poterat aut nutrire.

5. Exploratoribus<sup>5)</sup> abinde in Scitiam dimissis et<sup>6)</sup> destinatis scrutinii astucia sublimissima<sup>7)</sup> Scitie<sup>8)</sup> regione explorata cum pueris et armentis ipsam patriam intraerunt permansuri. Regnum igitur ipsum dum adissent, Alprozuros<sup>9)</sup> qui nunc Pruteni nuncupantur,<sup>10)</sup> in eo habitantes inuenerunt, quibus deletis et expulsis aut<sup>11)</sup> occisis usque hodie ipsum regnum vi victis<sup>12)</sup> vicinis (possidere) dignoscuntur. Scitia enim regio in Europa situm habet, et extenditur versus orientem, ab uno latere ponto aquilonari, ab alio niueis<sup>13)</sup> montibus includitur: cui de oriente Asia, et de occidente fluuius Etul id est Don.<sup>14)</sup> Gentes siquidem in eadem procreate ocia amplectuntur, vanitatibus deditae, naturam dedignatores<sup>15)</sup> actibus venereis intendentes, rapinas amant, generaliter colore plus nigro quam albo.<sup>16)</sup> Scitia enim comprehensione una cingitur sed in tria regna diuiditur principiando<sup>17)</sup> scilicet in Woscardiam Denciam et Mogoriam<sup>18)</sup> Habet quoque prouincias centum et octo, que dudum per filios Hunor et Mogor ob centum et octo progenies que egressae fuerant<sup>19)</sup> ex femoribus eorundem, de paludibus Meotidis intrantes Sci-

---

1) sibi sumps. in uxorem. VP. D. K. in uxores. B. S. 2) assumpsere. K. 3) habitassent. B. S. VP. D. permansissent K. 4) succrescere incepter. K. 5) igitur. add. cet. 6) dim. et. om. cet. 7) subtilissima ceteri praeter K. qui plurima mutat vel omittit quae breuitatis causa praeterimus. 8) Scitia B. 9) Alprozuros VP. D. Alpzuros K. 10) nominantur B. D. S. 11) ac VP. D. 12) inuitis 13) Ripheis B. S. K. VP. 14) et alterius Togora. add. S. K. 15) nature dedignantis. 16) pl. nigre q. albe. 17) principando. 18) Bascardiam — Magoriam. VP. D. Benciam D. 19) fuerunt VP. D.



tiam sunt diuise. Regno autem Scitico de oriente<sup>1)</sup> iungitur Jurianorum, et post hos<sup>2)</sup> Tarsia, tandem vero Man-  
calia,<sup>3)</sup> ubi Europa terminatur. Ex plaga autem estiuale  
subsolari, gens iacet Corosmoia,<sup>4)</sup> et Ethiopia, que minor  
India dicitur. Et post hoc<sup>5)</sup> inter meridiem et cursum Don  
fluuy est desertum immeabile, ubi propter intemperiem  
aeris illius zone, sunt serpentes diuersi generis, rane ut<sup>6)</sup>  
porci, basiliscus, et plura alia<sup>7)</sup> animalia toxicata; tigris  
et unicornus<sup>8)</sup> ibi generantur. Don grandis fluuius<sup>9)</sup> in  
Scitia oritur, ab Hungaris Etull nuncupatur, et ibi mon-  
tes niueos qui Scitiam cingunt fluuius<sup>10)</sup> transcurrit, qui  
amisso nomine Don vocatur. Circa enim meridiem iuxta  
ipsum iacet gens Kytanorum, et gens Alanorum, tandem  
in mare rotundum cadit<sup>11)</sup> tribus ramusculis. Alter quoque  
fluuius nomine Togata<sup>12)</sup> valde magnus nascitur in regno  
Sciticorum, qui per plures vadit desertas paludes et mon-  
tes niueos,<sup>13)</sup> ubi sol nunquam lucet, discurrens tamen<sup>14)</sup>  
tandem intrat in Hyrcaniam, et ibi vergit in mare aquilo-  
nis. Longitudo quidem<sup>15)</sup> Scitie patrie<sup>16)</sup> CCCM et sexa-  
ginta<sup>17)</sup> stadiis extendi perhibetur; latitudo centum nona-  
ginta. Situm enim habet tam munitum, quod in solo loco  
uno paruissimo vadum<sup>18)</sup> ibi reperitur; propter quod<sup>19)</sup>  
ipsi Scithe nulli imperio nec<sup>20)</sup> eciam Macedonico aliquo  
tempore subiecti sunt;<sup>21)</sup> et pro tanto vocamus eos demptos  
et<sup>22)</sup> exemptos<sup>23)</sup> ab omni potestate. Dicimus eciam Dentes  
et Dentositates,<sup>24)</sup> quia sicut dentes omnia corrodunt et

1) regnum. add. ceteri. 2) hec. 3) Mangalia. 4) Corosmina.  
5) hec. VP. D. S. Deinde inter — B. 6) velud. VP. D. 7) omittunt.  
cet. 8) unicornis. 9) est add. cet. 10) om. cet. 11) cadit rot. VP. D.  
12) Togora. K. Tagatha. D. Alter vero. B. 13) per siluas vadit desert.  
— B. 14) om. cet. 15) siquidem K. S. 16) cod. patere. patrie etiam  
D. proprie. B. Scitice regionis VP. K. 17) trecentis et sexaginta  
ceteri cum Toldyo. 18) Vadus VP. D. S. vadu B. 19) hoc. B. 20) nisi  
cod. 21) sunt subj. 22) id est. 23) exceptos D. 24) Dentos a dento-  
sitate.



tritulant, ita ipsi omnes alias nationes vexant.<sup>1)</sup> Vnde Romani eos vocabant flagellum Dei. Solo<sup>2)</sup> tamen dicta Scitia in quibusdam locis satis lata<sup>3)</sup> esse dicitur, nemoribus siluis herbis venustata, diversique generis diues bestiis et referta; cui de occidente<sup>4)</sup> vicini sunt Bessi et Cumani Albi. Circa etiam mare aquilonis (de occidente<sup>5)</sup> quod ei vicinatur usque Susdaliam<sup>6)</sup> est desertum siluestre humano generi immeabile, quod ad magnum perhibetur extendi spatium,<sup>7)</sup> ubi nubium densitas per nouem menses continue iacet, ubi sol non cernitur per menses memoratos, nisi in mense Junio Julio<sup>8)</sup> et Augusto, et id in tanta hora diei, quanta est a sexta usque<sup>9)</sup> nonam. In montibus enim deserti memorati crystallus inuenitur, grifones nidum parant, aues quas Legisvalk,<sup>10)</sup> hwngarice kerechet appellamus<sup>11)</sup> pullos procreare dignoscuntur.

6. In sexta igitur etate mundi<sup>12)</sup> vel seculi multiplicati Huni in Scitia habitando ut arena,<sup>13)</sup> anno domini CCCXXVIII<sup>14)</sup> congregati in unum inter se capitaneis constitutis: Bele filio Chele de genere Zemein oriundo, Bur<sup>15)</sup> et Kadicha eiusdem fratribus, Ethela Kue et Wida<sup>16)</sup> filiis Wendekuz, de genere Erd<sup>17)</sup> occidentales regiones decreuerunt inuadere.<sup>18)</sup> (De) centum ergo<sup>19)</sup> et octo tribubus decies centena milia armatorum<sup>20)</sup> eligentes, derelictis (aliis) Hunis id Scitia, qui ipsorum sedes regnumque ab hoste custodirent, constituentes nihilominus inter se

1) tritabant. 2) sola. VP. D. 3) leta B. S. K. 4) sic etiam K. oriente habent ceteri cum Toldyo. 5) deest in K. et hic redundare videtur. 6) Sosdaliam S. 7) ad magn. sp. ext. perh. 8) Julio Junio B. VP. D. 9) usque ad B. VP. D. 10) legerfale K. pro: Iegerfalek. 11) appellantur. 12) om. ceteri. VP. et D. mentionem hic faciunt Valentis imperatoris et Celestini I. papae. 13) que est in litore maris. add. B. 14) CCCLXXIII. VP. D. septingentesimo K. 15) Keue. VP. D. B. Cue. S. Kuwe K. 16) Ethele Kewe et Buda. VP. Atile Keue et Buda. B. D. Reuwa et Buda K. 17) Bendekus de genere Kadar VP. D. 18) inuad. decr. VP. D. 19) enim. 20) virorum add. cet.



rectorem unum nomine Kadar de genere Turda, qui lites sopiret dissidencium, fures ac latrones et malefactores castigaret; ita tamen ut si rector idem immoderatam sententiam diffiniret;<sup>1)</sup> in irritum posset communitas reuocare errantem rectorem, et capitaneos deponere quando vellet.<sup>2)</sup> Consuetudo itaque ista legitima inter Hunos siue Hungaros, usque ad tempora ducis Geyse<sup>3)</sup> filij Thoxun extitit obseruata. Ante etenim baptismum Hungarorum in castris vox preconia clamando taliter Hunos proclamabat ad exercitum: Vox dei et communitatis uniuerse, quod unusquisque in tali loco armatus, vel sicuti est<sup>4)</sup> debeat precise comparere, communitatis preceptum ac consilium auditorus. Quicumque ergo edictum contempsisset, non valens pretendere rationem, cultro diuidi per medium lex Scitica sanciebat, aut ire in desperatas causas, aut in commune seruicium immisericorditer trahebatur.<sup>5)</sup> Vitia itaque et huiusmodi excessus unum Hunum ab aliis fecerunt separari; aliter<sup>6)</sup> cum unus pater et una mater omnes Hunos<sup>7)</sup> procreauerat,<sup>8)</sup> quomodo unus nobilis et alter ignobilis esse diceretur, nisi victus per hos casus criminis haberetur?

7. Tunc omnes capitanei simul uno animo, uno quoque consilio egressi de Scithia, intrantes tandem Besos et Cumanos albos, Susdalos Ruthenos, terramque Cumanorum Nigrorum<sup>9)</sup> intrauere. Abinde egressi usque ad Thisciam peruenerunt. Qua quidem regione circumspecta, concorditer omni cetui placuit<sup>10)</sup> (ulterius non incedere) cum uxoribus et armentis; cum uxoribus enim et bigis, et suis tabernaculis descendere<sup>11)</sup>.

8. Cumque eo tempore Pannoniam Pamfiliam Frigiam Macedoniam et Dalmaciam tetracha Maternus<sup>12)</sup> na-

1) imm. diff. sent. B. 2) vellent. B. deponerent. VP. S. deponeret. K. disponderet. D. 3) Geyche. 4) esse. VP. D. 5) tradebatur. 6) alias autem. 7) Cod. quas. Toldy: generans. 8) procreauerit. 9) nigror. cumanor. 10) placuit omni cetui. 11) descenderant VP. descenderunt B. descenderent Toldy. 12) Macrinus. VP. S. K. Matrinus B. D. Materna. cod. et Tol.



cione Longobardus de Sabaria oriundus gubernaret, armis bellicis informatus, audito quod Huni super Thisciam resedissent, et de die in diem deustarent regnum eius, cum alumpnis sui regni ipsos aggredi formidans, ad Romanos (nuncios) suos mittens destinavit<sup>1)</sup>, petens sibi auxilium commodari contra Hunos. Ex gracia etenim Romanorum in<sup>2)</sup> patriis memoratis imperabat. Romani vero eo tempore Detricum de Verona natione Almanum voluntarie super se regem prefeceant, quem petentes ut Materno subsidium importaret, illo autem animo gratanti annuente est egressus cum exercitu ytalico germanico ac alio mixto gentium et gentibus<sup>3)</sup> partium<sup>4)</sup> occidentis. Peruenit tandem in Zazhalm<sup>5)</sup>, ubi ipsi Longobardi ad ciuitatem Potenciam<sup>6)</sup> conuenerant, ut tractarent cum Materno consilium, utrum Hunos in eorum tabernaculis in suo descensu transeundo Donubium, vel in alio loco competenti inuadere oporteret.

9. Initis ita<sup>7)</sup> consiliis et tractatibus, Detrico Maternoque residentibus, Huni super utres noctis silencio in Sicambria<sup>8)</sup> Donubium transeuntes<sup>9)</sup>, Materni et Detrici exercitum, quem ciuitas Potenciana capere non poterat in campis in tentorys<sup>10)</sup> commorantem crudeliter trucidarunt. Ex qua enim<sup>11)</sup> inuasionem Detricus conturbatus<sup>12)</sup> exiuit contra Hunos in campum Tawarnukwelt pugnaturus. Qui committendo prelium Hunos fertur deuicisse, cum suorum maximo interitu et periculo. Ex Hunis vero qui permanserunt<sup>13)</sup>, fugerunt ultra Tisam. Ceciderunt autem

---

<sup>1)</sup> librarius oscitans: „de Scithia“ scribens, raptim emendare volebat, et addidit pro „stinavit“ „Scithia“ quod delere oblitus est. Toldy putat „sonavit“ stare in codice. <sup>2)</sup> om. VP. D. <sup>3)</sup> alii mixtis gentibus. <sup>4)</sup> partis. <sup>5)</sup> Zazholm K. VP. Zazbolin S. <sup>6)</sup> Potencianam fuerant congregati B. fuerant aggregati. D. <sup>7)</sup> In istis itaque. <sup>8)</sup> Toldy cum codice Zizambria, sed infra capp. 12, 15, 16, 17. recte Sicambria. <sup>9)</sup> transfretantes. B. D. S. <sup>10)</sup> om. B. D. S. <sup>11)</sup> etiam. Tol. <sup>12)</sup> acerbatus. <sup>13)</sup> remanserunt.



illa die ex Hunis centum et viginti quinque milia, Keweque capitaneus interiit in ipso prelio inter illos.<sup>1)</sup> Ex Detrici vero et Materni exercitu exceptis illis qui in suis tentoriis<sup>2)</sup> manserunt<sup>3)</sup> trucidati, ducenta et decem milia corruerunt. Videns autem Detricus tantam cedem sui populi<sup>4)</sup> in prelio, post congressum altera die perexit versus Tulnam ciuitatem, que tunc erat ciuitas latinorum, inter urbes Panonie computata; Materno potentia nullatenus remanente.<sup>5)</sup> Tulna ciuitas est in Austria, tres rastas differt<sup>6)</sup> a Wienu. Ut vero cognouerunt Huni retrocessisse suos aduersarios, ad locum certaminis sunt reuersi, et cadauera suorum sociorum, et Kewam capitaneum more Scitico prope stratum ubi statua solempnis lapidea est erecta, decentissime subterrauerunt, locumque illum et partes illas Kewehaza<sup>7)</sup> vocauerunt. Experientes igitur in prelio precesso animositatem et Romanorum<sup>8)</sup> paraturam, resarcito exercitu versus Tulnam ciuitatem, ubi se inimici eorum collegerant, Huni perexerunt. Contra quos Detricus cum Materno in Cewsmaur dicitur occurrisse, et a mane usque ad nonam preliantes Romani sunt deuicti; ubi et Maternus mortuus est, et Detricus per sagittam in fronte vulneratus, totoque exercitu Romanorum interempto<sup>9)</sup> ac fugato. Ex Hunis vero in illo prelio quadraginta milia perierunt, Wela Kadicha et Keue<sup>10)</sup> ibidem interfectis. Quorum cadauera abinde remouentes, apud statuam memoratam cum aliis Hunis sepulture tradiderunt. Postquam autem Romanorum exercitus de Cesumaur est dispersus, nunquam deinceps per plures annos contra Hunos congregari potuerunt.

10. Tunc Huni Athilam filium Bendecuz<sup>11)</sup> Roma-

1) deiectos. add. B. D. 2) in campis. add. B. D. 3) fuerant.

4) accidisse add. ceteri. 5) Matern — reman. om. ceteri. 6) distat.

7) Cuue azoa K. Keue oza VP. reua oza S. 8) et armorum, add. ceteri.

9) interrupto. S. 10) Cue. S. 11) Benudech. cod. et Toldy; sed supra

cap. 6. Wendekuz. Omittit noster cum K. B. S. annum Domini 401; quam notam temporis habent VP. et D.



norum consuetudine super se regem prefecerunt, qui primo unus de capitaneis habebatur. Et ipse Wudam fratrem suum de flumine Tiscie usque Don principem constituit ac rectorem, vocarique se faciens Hungarorum<sup>1)</sup> regem metum orbis, flagellum Dei<sup>2)</sup> Athila Dei gracia filius Wendeguz, nepos magni Nemproth<sup>3)</sup>, nutritus in Engadi, que est melior terra in mundo<sup>4)</sup>, rex Hunorum<sup>5)</sup> Gothorum Medorum<sup>6)</sup>, metus orbis terre et flagellum Dei.

11. Athila colore teter<sup>7)</sup> oculis furiosus, elatus incessu, pectore lato, barbam prolixam deferebat; venereus eciam erat ultra modum, In archa sua (es) tenere contempnebat; audacie quidem temperate, astutissimus in preliis ac sollicitus<sup>8)</sup>, fortitudinis competentis suo corpori<sup>9)</sup> habebatur. In voluntate magnanimus, armis politis, mundis tabernaculis cultuque utebatur. Amabatur siquidem ab extranea natione, eo quod esset liberalis et communis; ex natura vero seueritatem<sup>10)</sup> quam habebat, mirabiliter a suis timebatur. Linguarum ideoque diuersarum nationes de finibus orbis terre ad eum confluebant, quibus pro posse liberaliter affluebat. Habebat enim quatuor<sup>11)</sup> milia curruum falcatorum, diuersas machinas, et omnia, ingenia, quibus castra et urbes confringuntur, que in suo exercitu secum ferebat. Tabernacula quidem variis modis diuersorum regnorum operata habere consueuerat; <sup>12)</sup> unum tamen habebat sic celebre ac solempne, ut ex laminis aureis mirifice coniunctim solidatum<sup>13)</sup>, modo solui, et nunc coniungi<sup>14)</sup> ad tenden-

---

1) Hunorum. K. reg. Hungaror. ceteri 2) titulum siquidem suum tali sub forma scribi faciebat. add. B. D. 3) Magor. VP. 4) que — mundo. om. cet. 5) Hungarorum. B. D. 6) Medor. Got. Danor. VP. Medor. Darior. et Got. D. Medor. et Got. B. omittit has voces S. 7) totus. cod. 8) solertus. cod. et T. 9) corpore. cet. 10) serenitatem. VP. B. D. S. 11) decem. 12) hab. consv. op. K. B. D. 13) coniunctum solidata. Cod. Keza solus recte: coniunctim solidatum. ceteri coni. solidata. 14) reconiungi.



tium staret voluntatem. Columpne vero<sup>1)</sup> eius ex auro laborate, habentes iuncturas, opera ductilia, in medio tamen vacue, in suis iuncturis lapidibus preciosis fabricate<sup>2)</sup> iungebantur. Sed et<sup>3)</sup> sua maristalla, dum pergeret ad exercitum diuersarum patriarum equis replebantur, quos quamuis visus esset habuisse, largiter tamen egentibus tribuebat, ita quidem<sup>4)</sup> ut duos vix haberet aliquando pro usu equitandi. Ista vero maristalla<sup>5)</sup> ex bisso et purpura habebat parata.<sup>6)</sup> Sed et regales vestes<sup>7)</sup> et selle, ex auro fuerant et lapidibus preciosis laborate. Mensa erat tota aurea, vasa eciam coquinaria aurea erant. Thalamus autem eius ex auro purissimo mirifice fabrefactus secum in exercitu ferebatur. In huiusmodi igitur et in aliis seculi<sup>8)</sup> pompis Atele rex Hunorum erat gloriosus. Expedicio vero sua preter extraneas<sup>9)</sup> naciones centenis<sup>10)</sup> milibus virorum armatorum replebatur ita quidem ut si unum<sup>11)</sup> decedere contigisset, statim unus<sup>12)</sup> ad locum eius ponebatur, Arma quidem gentis eius ex corio maxime et metallis variis diuerso modo erant fabricata;<sup>13)</sup> arcus habens et lanceas acutissimas, et cultros accinctos in femore. Walnerium quoque regis Athile, quod in suo scuto gestare consueuerat, similitudinem austuris in capite habebat cum corona. Id signum Hungari dum se regerent per communitatem, usque ad tempus<sup>14)</sup> ducis Geysse filij Toxun in exercitu semper communit<sup>15)</sup> gestauere.

12. Postquam autem commisso prelio in Cezumaur idest Cesmukmal<sup>16)</sup> redissent Huni<sup>17)</sup> cum victoria ad sua

---

1) om. cet. 2) fabrefacte. VP. 3) in cod. etiam. K. 4) tamen B. D. S. 5) Iste vero maristalle. 6) habebant paraturam. 7) om. cet. 8) huius mundi. B. 9) exteras K. B. D. 10) decies. add. cet. 11) Sciticum. add. cet. 12) continuo pro ipso alter. B. D. statim pro ipso alter. VP. S. confestim alter pro ipso K. 13) diuersimode fuerunt (fuerant) laborata. 14) usque tempora. 15) communium. VP. B. D. S. pro communi in exercitu semper secum. K. 16) om. Toldy. 17) hungari D.



tabernacula, diebus paucis ultra Tisciam cum uxoribus remanserunt<sup>1)</sup>. Et hoc facto rex Atila ad Czewem<sup>2)</sup> solempnem curiam fecit congregari, in qua<sup>3)</sup> Detricus de Verona cum principibus Almanie incedens<sup>4)</sup> omnem homagionem et reuerenciam regi Athile fecisse perhibetur, Suggestit itaque regi ad partes occidentales personaliter (accedere) ubi magnum honorem possit adipisci. Cuius quidem amplectens<sup>5)</sup> consilium, exercitu statim proclamato egressus<sup>6)</sup> de Sicambria, id est<sup>7)</sup> Buda, (primo Illiricos) dicitur inuasisse, deinde Constancie regnum pertransiuit, cui Sigismundus rex occurrit circa Basileam cum exercitu magno; quem cum gente tota conterens, suo dominio subiugat.<sup>8)</sup> A loco autem illo egressus iuxta Renum Argentinam ciuitatem obsedit, quam quidem nullus Cesar potuit primitus expugnare ipse Athila expugnauit diminuendo<sup>9)</sup> murum eius in diuersis locis, ut cunctis aduenientibus sine grauitate via libera<sup>10)</sup> preberetur, edicens firmissime, ne ipsius murus ipso uiuente muraretur:<sup>11)</sup> ut eadem ciuitas non Argentina, sed Strasburg uocetur<sup>12)</sup> propter viarum pluralitatem, quas in muro eius fecerat aperiri. Amoto igitur suo exercitu de Argentina iuxta Luxoniam Wizanciam Chalon Masticon Ligonensem Burgondam et Lugdunum, destrui fecit ciuitatem<sup>13)</sup> usque terram. Et egressus inde iuxta fluuium Rodanum peruenit Cathalanys, ubi diuiso suo exercitu, terciam partem sue gentis contra Mirananam Soldanum potentissimum cum electis capitaneis destinauit.<sup>14)</sup> Quo audito idem de urbe Sibilie fugit ante Hunos in Marchiam,<sup>15)</sup> brachio maris, quod strictum Sibilie dicitur transpassato. Hoc facto

---

1) permanserunt. 2) Scewem. K. Zeuem S. Zeuuen B. ad unum diem VP. D. 3) ad quam. K. in quam B. S. VP. D. 4) accedens. 5) Huni amplectentes. B. D. 6) egressi. B. D. S. 7) haec omittunt ceteri. Toldy: seu Buda Illiricos. 8) subiugauit. 9) diruendo. 10) libere D. 11) mutaretur. cod. 12) uocaretur. 13) ciuitates. 14) dicitur destinasse B. D. 15) Marrochiam.



idecirco<sup>1)</sup> regem Athilam Romanorum patricius dictus Eucius<sup>2)</sup> cum X regibus occidentalis terre<sup>3)</sup> inuasit ex abrupto. Cumque insultum niteretur<sup>4)</sup> facere super Athilam, per nuncios petens inducias preliandi, ut copia sue gentis, que fuerat aduersus Soldan destinata, remearet: illis renuentibus, inter ambos exercitus a mane usque ad noctem, in campo qui Wewin<sup>5)</sup> dicitur prelium est commissum. Erat enim inter ambos exercitus fluuius discurrens tam paruissimus, ut si capillum quis in ipsum<sup>6)</sup> iactasset, suo lento motu potuisset vix inferius remouere. Prelio autem iam facto animalium et hominum sanguine inundando, tantus torrens fuisse perhibetur, ut aurigam cum curru intro traheret ac armatos, fieretque mortalitas non modica per torrentem in utroque exercitu. Illud ergo prelium quod commissum extitit inter reges occidentis et Athilam in campo Wewinder Cathalaunis,<sup>7)</sup> omnibus preliis huius mundi, que commissa sunt uno die et uno loco, terribiliora et magis ardua per veteres non memorantur. In quo quidem conflictu rex Gottorum Marinus<sup>8)</sup> nomine Aldaricus extitit interemptus. Cuius quippe obitum dum alii reges cognouissent, qui occisi non fuerant, fuge latebras queritarunt. Ab illo ergo die eleuatum est cor Hunorum et regis Athile, timorque<sup>9)</sup> percussit orbem terre. Quo audito censu eis et tributo<sup>10)</sup> plurima regna seruiuerunt.<sup>11)</sup>

13. Tercia vero pars exercitus Athile regis, que non potuit in hoc prelio interesse, timens Athilam propter moram, usque vitam Athile remansit Cathalanis; eiusdem patrie habitatores tandem sunt effecti. Pannoiam nolentes

1) incerto. 2) Eucurus. cod. Ecius. K. 3) occidentis 4) niterentur. K. VP. S. 5) Beluider. K. Bewinde. VP. Bewinder. D. Beuinde S. Beuind. B. 6) quis in eum. B. in ipsum quis. cet. 7) cathalawis. cod. Beusscite Cathalaunis VP. Beuinde Catelannis S. Beuind. cathalanis B. D. 8) Sic etiam VP. ceteri maximus. 9) eorum add. B. D. S. 10) censuras et tributa. cod 11) promiserunt Tol.



remeare. Erant enim soli Huni<sup>1)</sup> aduersus Mirmamaniam destinati LXV milia, secundum quosdam libros CCCXXX milia in Hunis<sup>2)</sup> excepta extranea<sup>3)</sup> natione. Ex hys Hunis plures fuerant capitanei constituti, qui lingua ipsorum Hyspani<sup>4)</sup> vocabantur, ex quorum quidem nominibus Hispania tota nomen assumpsit.

14. In loco siquidem prelii diebus paucis commorante Athila, regressus est<sup>5)</sup> cum victoria, venitque in ciuitatem Tholosanam, in qua per ciues cum summa laude est receptus. Abinde se remouens abiit contra Remensem ciuitatem, capitalem urbem Gallicorum, qui ei dum pergeret Cathaloniam restiterat vehementer. Quam occupans sine misericordia<sup>6)</sup> omnes<sup>7)</sup> quos ibi reperit, igne ac gladio deuastat<sup>8)</sup>. Taliterque tota Francia et Flandria demolita, peruenit Koloniam, ubi sanctam Ursulam Waractanorum<sup>9)</sup> regis filiam cum XI milibus virginum Hunorum feritas crudeliter iugulauit. Reno ibidem transpassato Colonie, deinde intrans Turingam, apud Hysinarum<sup>10)</sup> ciuitatem curia solempni in ipsa celebrata super Dacos<sup>11)</sup> Noruanos, Frisones, Lituanos<sup>12)</sup>, et Prucenos exercitum destinauit, quos deuictos sibi fecit deseruire.

15. Egressus vero curia celebrata in Sycambriam ciuitatem Pannonie intrauit, in qua propriis manibus Wudam fratrem suum interfecit, ac corpus suum in Donubium proiecit, quia ipso Athila in partibus occidentalibus demorante, idem Wuda inter ipsum, (et) Athilam fratrem suum metas stabilitas transgressus fuerat dominando. Nam Sicambriam suo nomine fecit nominari Wudawara. Et quamuis rex Athila Hunis ac aliis gentibus posuisset in-

---

<sup>1)</sup> pro: huni, ponunt: qui, B. et D. <sup>2)</sup> Keza solus habet CCC milia XXX milia et XXXII huni, ceteri omittunt ista. <sup>3)</sup> extera. B. D. S. <sup>4)</sup> Spani. <sup>5)</sup> demum. add. cet. <sup>6)</sup> mora. <sup>7)</sup> contra se restantes. add. B. D. S. <sup>8)</sup> deuastauit. <sup>9)</sup> Brachanorum. S. Britanorum K. Bractanorum. cet. <sup>10)</sup> Isnaco. K. ysnacum. cet. <sup>11)</sup> datos. cod. <sup>12)</sup> Pituanos. cod.



terdictum ut eadem ciuitas non Wudawara sed urbs Athile vocetur<sup>1)</sup>, Theutonici interdictum formidantes Ezelburg<sup>2)</sup> eam vocant, id est urbs Athile. Hungari vero interdictum non curantes adhuc eam Wudam<sup>3)</sup> usque huc<sup>4)</sup> vocant et appellant.

16. Hys itaque sic peractis quinque annis Sycambrie requieuit, speculatoribus suis per mundi quatuor partes destinatis siue distributis. Speculatorum quidem prima societas de Sycambria ordinatim in quantum unius clamor ad alterum potuisset exaudiri die nocteque Coloniae ciuitate stare consueuerat; altera pars usque Lituam; tertia in littore Don fluiui, id est Ethul; sed quarta stacio Yadrie<sup>5)</sup> Dalmacie ciuitate constitierat. Quorum quidem clamore et voce quid Athila ageret, vel quali exercitacioni esset deditus, mundi quatuor partes scire potuissent.

17. Pannonie Pamfilie Frigie Macedonie et Dalmacie ciuitates, que per Hunos obsidione crebra erant fatigate, natali solo derelicto in Apuliam per mare Adriaticum licencia ab Athila impetrata, seruire ipsi Athile renuentes, dimissis armentis transierunt, ulachis qui ipsorum coloni erant,<sup>6)</sup> vel extitere ac pastores remanentibus sponte in Pannonia. Cumque rex Athila quinque annis pausasset<sup>7)</sup> Sicambrie, sui exercitus defectum, videlicet tercie partis que dudum remanserat Cathalaunys resarcire, id est inuenire<sup>8)</sup> procurauit, curiaque celebrata egressus de Pannonia per Carinthiam Stiriam et Dalmaciam pertransiens, apud urbem Salonam et Spaletam mari Adriatico se coniunxit ambasque urbes fecit cremari.<sup>9)</sup> Ab illo vero loco egressus perrexit circa mare Tragunam Sardonam Sibenicum Jadram Nonam Stemam<sup>10)</sup> ciuitates

1) vocaretur. 2) Ecilburg B. D. S. Echulbure K. Erelburg cod. 3) Ou Budam K. VP. O budam B. D. S. 4) hodie. K. VP. B. S. adhuc. D. 5) ydrie. cod. 6) om. cet. 7) repausasset. 8) om. cet. et inven. Tol. 9) concremari. 10) Traguram — Sceniam VP. B. S. D. Parentiam Polam, Caputsriam et Triestinam vel Tergestinam. add. cet.



et multa oppida, in montibus discurrens<sup>1)</sup> peruenit tandem Aquilegiam. Cuius quidem magnitudine conspecta aborruit, et se confusum reputans,<sup>2)</sup> si dictam urbem inexpugnata<sup>3)</sup> reliquisset, pro eo maxime quia plures rebelles Longobardi de Pannonia fugisse in ipsam ferebantur. Quos cum per nuntios a ciuibus repetisset illosque tradere recusassent, expugnare cepit diuersis machinis ciuitatem, quam cum capere nullatenus potuisset, obsedit eam uno anno et dimidio. Accidit autem uno die<sup>4)</sup> ut ipsam ciuitatem circuiret multis phitonicis lateri eius<sup>5)</sup> adherentibus, in quibus iuxta sue fidei opinionem spem maximam apponebat.<sup>6)</sup> Videns ciconiam de mari euolantem, et in pinnaculo unius palacii, in quo habebat nidum suum resedissee, acceptoque in rostro suo pullo uno in maris arundines illum deportauit. Reuersa iterato, et alios pullos suos simul cum nido transportabat.<sup>7)</sup> Quo viso rex Athila suos milites ad se vocans, dicens:<sup>8)</sup> Cernite socii, quod ista ciconia futurorum factorum<sup>9)</sup> indicia notat, et urbem istam per nos sentit diruendam, ad fugam, ne pereat cum ciuibus se communit. Estote ergo in prelio die crastino forciores, videbitis ciuitatem ruituram. Tunc edicto proclamato, machinarum omni genere adhibito, cum non posset<sup>10)</sup> ciuitatem expugnare cum machinis, consilio Scythicorum tandem<sup>11)</sup> usus sellam unam ex decies centenis milibus de quolibet postulauit, fecitque ex sellis iuxta muri circuitum<sup>12)</sup> congeriem vehementem, et iussit incendi sellas illas<sup>13)</sup> quarum flamma et ardore murus se dissoluens cum turribus in terram est prostratus. Quo viso ciues<sup>14)</sup> derelicta ciuitate<sup>15)</sup> in insulam maris fugierunt. Quamd<sup>16)</sup> enim insulam maris Aquilegie (contiguam) decreuerunt introire<sup>17)</sup> eterno ibi permansuri, que Vetus

1) destruens. Toldy. 2) deputans. VP. 3) inexpugnabilem. VP. 4) die uno. 5) eius lateri. VP. K. 6) ponebat. B. D. 7) transportauit. 8) dicit eis. 9) fatorum. K. VP. 10) potuisset. 11) om. VP. D. 12) circuitum. VP. 13) ipsas. 14) omnes add. cet. 15) urbe K. VP. S. der. urbe. om. B. D. 16) Eandem. Toldy. 17) Toldy in Analectis alia substituit: Aquilegienses decernunt intrare.



Venecia usque huc<sup>1)</sup> nominatur<sup>2)</sup> In qua quidem aliquamdiu habitantes, propter metum regis Athile, ipsam derelictam<sup>3)</sup> insulam que Bealt<sup>4)</sup> dicitur intrauerunt permansuri. Veneti quidem sunt — — —<sup>5)</sup> excidium Troie<sup>6)</sup> Aquilegie (permanserunt) quam fundasse perhibentur. Veneti quidem non accipiunt originem de Sabaria, ut quidam opinantur;<sup>7)</sup> nam Sabariam<sup>8)</sup> latini Longobardi inhabitant,<sup>9)</sup> et erat ibi scola generalis, tam ipsis Longobardis, quam aliis gentibus<sup>10)</sup> terre, poetarum, multis philosophorum dogmatibus luculencius<sup>11)</sup> illustrata, et variis ydolorum erroribus mancipata, quam quidem rex Gottorum nomine Archellaus primo volens capere<sup>12)</sup> diu obsessam non potuit; demum metus orbis expugnauit. Cuius nempe incole per Hunos expulsi nunc habitant Papie iuxta fluuium Tysan.<sup>13)</sup>

18. Destructa itaque ciuitate Aquilegia<sup>14)</sup> Concordiam denique<sup>15)</sup> in Forrum<sup>16)</sup> July destruxit Ciuitatem. Deinde in marchiam intrans Longobardie, Teruisium Paduam Veronam Wrixiam Cremoniam Mantuam Pergamum Mediolanum Allexandriam et Feraram aliasque plures urbes ipsius regionis suo dominio subiugauit.<sup>17)</sup> Post hoc<sup>18)</sup> Rauennam dum venisset, Arrianorum archipresul, qui in ipsa ciuitate contra sedem apostolicam duodecim cardinales fecit<sup>19)</sup> eleuari sectam suam imitantes: habens thesaurum copiosum, ciuibus ignorantibus in urbem Rauennam clam Hunos intromisit, filiosque waptismatis, qui in ipsa ciuitate erant potiores, fecit iugulari, promittens nihilominus regi Athile, quod si secte sue adhererit, fueritque persecutus christia-

1) hodie. 2) nuncupatur B. D. 3) ipsa derelicta. 4) Realt K. VP. S. 5) Exciderunt hic: „Troiani, ut cronica canit veterum; post“ 6) etiam terre. cod. 7) om. B. D. cum nostro faciunt K. VP. S. „sed de Troia ciuitate opimatissima“ add. B. D. 8) Sabarie. 9) inhabitabant. 10) orbis. add. cet. 11) luculenter. 12) primo. vol. cap. om. B. D. 13) Ticini. 14) Aquilegie et Concordia. VP. 15) demum. 16) Foro. in margine codicis: „id est forum.“ 17) subiug. dom. VP. 18) hec. 19) fecerat.



nos, totam Italiam et Romanam ciuitatem cum Africa, sine fatigacione sue gentis et expensis sibi subiugaret. Cumque Athila libenter annuisset<sup>1)</sup>, magis oblectatus amore dominy quam secte memorate; cognoscentes Romani periculum quod inde emergere posset<sup>2)</sup> christianis, Leonem, *vel secundum quosdam Benedictum*<sup>3)</sup> adeunt apostolicum, ut ad Athilam debeat dirigere gressus suos, petens eum ex parte Romanorum, ut acciperet census et seruicia, quamdiu uiuere ipse Athila. Interea rex Athila ad Apuliam exercitum destinabat<sup>4)</sup> constituens ipsi exercitui capitaneum Hoard<sup>5)</sup> ex tribu Zoard oriundum; qui quidem Apuliam, Terram laboris, et Calabriam usque Regionem ciuitatem, et Catonam, quam sapiens Katho fundasse dicitur, spoliauit, et cum summa preda reuertitur. Cumque Leo papa cum cleri multitudine ac crucibus ad Athilam peruenisset Rauennam, in campo simul in equis colloquium habebant.<sup>6)</sup> Et dum promissa et verba audisset Romanorum, honerosa videbantur regi<sup>7)</sup> Athile. Admittere decuit tamen postulata<sup>8)</sup> apostolici ob timorem. Nam cum idem rex oculos superius eleuasset<sup>9)</sup> vidit super<sup>10)</sup> caput suum pendere quemdam<sup>11)</sup> hominem in aere habentem gladium versatilem in manu sua, qui ipsius caput quasi stridentibus dentibus truncare minabatur. (Et sic Romanis admittendo postulata eorum,<sup>12)</sup> apostolico licencia data, rex Rauennam est ingressus. In qua quidem archipresulem arrianum fecit captiuari cum suis sequacibus, pape imitatus<sup>13)</sup> consilium. Et postquam exegisset ab eo et complicitibus suis LX milia marcarum auri, ipso iugulato, cum omni copia sui exercitus frena reuertit;<sup>14)</sup> Pannoniam est reuersus.<sup>15)</sup> Cum ergo per me-

1) ac add. VP. 2) potuisset. 3) haec desunt in cet. 4) suum destinavit. 5) Zoard. K. B. D. S. Zorard. VP. 6) habuerunt. 7) reque cod. Rexque. Toldy. 8) Sic B. D. S. admisit tamen postulata VP. Admittere decreuit Toldy. 9) leuasset, B. D. 10) Sic K. ceteri: supra. 11) om. cet. 12) coram. cod. 13) in mandatis. cod. 14) retrouertit. 15) ingressus B. D.



ridiem<sup>1)</sup> aquilonem atque orientem longe lateque suum imperium extendisset, vertitque<sup>2)</sup> in animo suo transfretare ut Egipcios Assirios ac Africam subiugaret.

19. Tunc filiam regis Baractanorum nomine Micoloth<sup>3)</sup>, supra formam humanam pulchriorem sibi adducunt ad amandum. Quam in tantum adamasse<sup>4)</sup> perhibetur, ut modum excesserat, sicuti ei moris erat in potando. Factoque fine coitus puelle, usuque<sup>5)</sup> consumato, de naribus eius sanguis egrediens supino dormienti cruor per os in guttur intrauit, ubi sanguis coagulatus tractum impediens anhelitus, Athilam interimit<sup>6)</sup>. Micoloth vero de somno excitata, cum suum dominum motu celeri tetigisset, et ille se mouere non potuisset, cernens corpus frigidatum et priuatum calore naturali cubicularios regios eiulatu magno ad se vocans, dominum suum eis demonstrans uniuerse carnis viam intrasse<sup>7)</sup>. Qui sane clamore terribili perstrepando, uniuersos vigiles ad hostium<sup>8)</sup> palacy eorum eiulatu fecerunt cursitare. Sepelieruntque eum loco superius memorato.

20. Diuulgato igitur eius obitu obstupuit totus mundus et utrum inimici eius lugerent, an gauderent hesitabant, filiorum multitudinem formidantes, qui quasi populi vix poterant connumerari,<sup>9)</sup> et credebant aliquem post obitum patris regnaturum ex filiis. Detrici vero ac aliorum principum alienorum<sup>10)</sup> astucia, quibus rex Athila in collo imperando residebat, Hunorum impartita communitas in partes diuersas est diuisa; ita quidem, ut quidam Chabam regis Athile filium ex Grecorum imperatoris, scilicet Honorii filia procreatum; alii vero Aladarium ex Germanie principissa, scilicet ex domina Curhundina<sup>11)</sup> in regem post

1) occidentem. add. cet. 2) vertebat. cet. verteretque Toldy.

3) Mikolch. VP. B. D. Michole. S. Micolt. K. 4) amasse VP. 5) usque VP. 6) interemit. In margine notatur: „de morte Athile.“ 7) introisse.

8) hostia. 9) numerari. 10) Alamanorum VP. ceteri: Almanie Almannie. 11) Cremildi K. Crimiheldina B. D. Crumheldina VP. Cruebonia S.



Athilam sibi preficere nitebantur. Sanior vero pars Hunorum cum Chabe adhesisset, Detricus<sup>1)</sup> cum paucis Hunis Aladario, ambo regnare ceperunt. Cumque alter alteri se preferre niteretur<sup>2)</sup> (inter) ambos reges tam durum bellum<sup>3)</sup> est commissum, ut per XV. dies continuos ita Donubium germanico sanguine inundavit, ut si Theutonici occisionem que per Hunos facta est diebus memoratis ob odium non celarent, profecto possent confiteri, quod a Sy-cambria usque Potentianam, nec homines nec bruta animalia de Donubio aquam puram bibere potuissent. Istud est illud prelium quod Hungari Crimheled<sup>4)</sup> prelium vocant usque in diem istum. In hys itaque prelys semper Huni et Chaba victoriam habuerunt. Postquam<sup>5)</sup> vero Detricus de Veronia proditamento<sup>6)</sup> Chabam fecit superari,<sup>7)</sup> vix quindecim milia ex parte Chabe remanserunt,<sup>8)</sup> aliis Hunis et filiis Athile totaliter deletis et occisis.<sup>9)</sup> Deuictus itaque Chaba et germani sui filii Athile, qui ei assisterant ex aduerso<sup>10)</sup> numero LX. cum XV. milibus Hunorum ad Honorium auunculum suum fugisse perhibetur. Et quem<sup>11)</sup> Honorius imperator incolam Grecie facere voluisset, illo renuente, remeare<sup>12)</sup> paternam sedem videlicet Scitiam expetiuit moraturus. Manserat namque in Grecia apud Honorium duodecim<sup>13)</sup> annis, sed rediit in Scitiam, propter disturmiam<sup>14)</sup> uno anno. Hic autem in Scitiam adiendo, uxorem de Scitia non accepit, sed traduxit de Corosmenia

<sup>1)</sup> autem extera natio. add. cet. <sup>2)</sup> moliretur. Exciderunt hic: „Detrici astucia qui illo tempore Sicambrie Aladario adherebat, inter ambos“ etc. <sup>3)</sup> prelium ac forte. <sup>4)</sup> Crimiheld. B. D. Crumheld. VP. Crumhelt. K. Crumhed. S. <sup>5)</sup> postmodum. <sup>6)</sup> per tradimentum. <sup>7)</sup> separari. cod. omitta sunt hic: „deuicerat enim primitus Chaba fratrem suum, sed tandem in ultimo est deuictus, ut vix etc. <sup>8)</sup> remanerent. <sup>9)</sup> Hic incipit scriptor contrahere narrationem, omissis quibusdam, ut putabat, minus necessariis; quibus supplendis nos quoque abstinemus. <sup>10)</sup> om. B. D. S. <sup>11)</sup> Toldy et cet. quamuis. <sup>12)</sup> remanere VP. S. permanere B. <sup>13)</sup> tredecim. <sup>14)</sup> viarum discrimina.



de consilio Wendekuz aui sui, quem sanum, sed nimis decrepitum dicitur inuenisse. Ex ista uxore sua genuit. Edemin et Ed. Igitur Chaba suo amonitu redire fecit Sciticos iterum in Pannoniam.<sup>1)</sup>

21. Remanserunt<sup>2)</sup> autem ex Hunis virorum tria milia qui fugerant, erepti de prelio Cuminhuldino, in campum Chigla mezei se colligere procurarunt. Qui cum timerent occidentis naciones, ne eos inuaderent ex obrupto ad Erdeveleu intrauerunt; non se Hungaros, sed Zewkalos<sup>3)</sup> alio nomine vocauerunt; Isti enim Zeculi Hunorum sunt residui usque ad alium Hungarorum prelium<sup>4)</sup> in campo prephato cōmmorantes. Isti namque Seculi Chabam in Grecia periisse putarunt, unde vulgus adhuc loquitur inquiens: tunc redire debeas, quando Chaba de Grecia reuertetur. Iste namque Chaba legitimus filius erat Athile regis, cuius filii sunt Edemin et Ed vocati. Edemin uero<sup>5)</sup> in secundo reditu in Pannoniam, per se cum maxima familia ex cognacione patris et matris sue introiuit. Ed autem remansit in Scitia. Ex isto enim Chaba Abe generacio est exorta.

22. Exterminata itaque multitudine filiorum regis Athile<sup>6)</sup> tandem Pannonia permansit sine rege X annis, Olachis Grecis Machianis Theutonicis Sclauis exulibus remanentibus tum in Pannonia, qui Athile seruiuerunt.<sup>7)</sup> Surrexit autem post hoc quidam princeps Zathapolug no-

---

<sup>1)</sup> In margine codicis legitur: „nota de Siculis.“ Haec Toldy textui inserit: „Hic nota de Siculis.“ *Analect.* p. 39. Oblitus, ut videtur, accuratissimae codicis cum apographo collationis per doctissimum Ferd. Knauz factae, et ab ipso Toldyo olim editae. Similia monita ad lectorem, nihil novi continentia praetermisimus. Sic cap. 4-o „origo Vngaror.“ „Nota bene principium et originem“ Et cap. 18. ad colloquium papae cum Atila: „Leo papa iuit ad atilam nota bene.“ etc. <sup>2)</sup> remanserant. K. VP. S. <sup>3)</sup> Zekul. VP. Siculos. B. D. Zakulos. K. S. <sup>4)</sup> reditum. VP. S. aduentum. B. D. <sup>5)</sup> loco: „Quidem vero chaba“ codicis. <sup>6)</sup> Continuat narrationem noster cum B. D. S. omissis, quae VP. et K. de iactantia Chabae habent. <sup>7)</sup> seruebant. B. D. S.



mine Moroti filius de Polonia; cepit in Pannonia dominari. Hunc quidem primi Hungari de Erdel muneribus variis explorantes bractando<sup>1)</sup> diuersis sermonibus, denique irruptione subita in oppidum circa pontem Bani iuxta Tatam cum tota milicia deleuerunt;<sup>2)</sup> et sic populis Pannonie memoratis, quos Morothi filius dilatando auxerat,<sup>3)</sup> inceperunt dominari. Regnavit<sup>4)</sup> autem Athila annis quadraginta quatuor, ducatum tenuit LV. annis<sup>5)</sup> vixit centum XXIII annis.<sup>6)</sup> Et tantum de prima Cronica Hunorum.

INCIPIIT PROLOGVS IN SECVNDAM CRONICAM  
EORVNDEM.

23. Digestis igitur Hungarorum natalibus, preliis felicibus ac sinistris, quociensque eorum loca immutauerunt, nunc videndum est, quo tempore in Pannoniam redierunt iterato, quique redeuncium fuerint capitanei, quantusque numerus armatorum in exercitu, apponere in presenti opusculo dignum duxi.

24. Porro Eleud<sup>7)</sup> filius Vgek ex filia Ewidbilia<sup>8)</sup> in Mogor<sup>9)</sup> genuit filium qui nominatur Almus ab euentu, quia matri eius in sompno<sup>10)</sup> innotuerat auis quasi in forma austuris veniens, dum esset grauida; et quod de eius utero egrederetur torrens, ac in terra non sua<sup>11)</sup> multiplicaretur. Ideo fatatum<sup>12)</sup> fuit, quod de lumbis eius gloriosi reges propagarentur. Quia sompnum<sup>13)</sup> in lingua nostra dicitur Alm, et illius ortus per sompnum fuit pronosticatus, ideo voca-

---

<sup>1)</sup> Hic codices B. et D. sequitur noster qui „praectando“ habent; S. „bractando“ scribit, Toldy corrigit: tractando. <sup>2)</sup> deuenerunt. cod. <sup>3)</sup> adauxerat. <sup>4)</sup> Noster hic codicem B. sequitur, omissis: „Huni autem applicuerunt fluuio Tiscie etc. quae in codicibus VP. D. et S. leguntur. <sup>5)</sup> ceteri cum Toldy: quinque. <sup>6)</sup> viginti quinque B. D. <sup>7)</sup> Omittit chronologiam codicum VP. et D. continuatque cum B. et S. <sup>8)</sup> Eunodbilia. VP. et S. Ennodbilia B. D. <sup>9)</sup> in Scytia. VP. in Scytia Magor. D. <sup>10)</sup> somnio. B. <sup>11)</sup> sua non. cod. sua numero Toldy. <sup>12)</sup> factum VP. D. statutum. Toldy. <sup>13)</sup> sompnum. cod.



tus est Almus, qui fuit filius Eleud, qui fuit Vgek, qui fuit Ed, qui fuit Chaba,<sup>1)</sup> qui fuit Wendekuz, qui fuit Torda, qui fuit Ethen, qui fuit Caducha, qui fuit Borend, qui fuit Zulta, qui fuit Wulchu, qui fuit Wobag, qui fuit Lehel, qui fuit Leuenta, qui fuit Ompud, qui fuit Miska, qui fuit Chanad, qui fuit Wuken, qui fuit Farkas, qui fuit Athmar, qui fuit Weler, qui fuit Kewa, qui fuit Keled, qui fuit Dama, qui fuit Door, qui fuit Hunor, qui fuit Membroth, qui fuit Thana, qui fuit Japhet, qui fuit Noe. Almus genuit Arpad, Arpad genuit Zaltan, Zaltan genuit Toxun, Toxun genuit . . . .

25. Anno octingentesimo octuagesimo octauo<sup>2)</sup> ab incarnatione Jesu Christi Hungari ingressi sunt Pannoniam et deuenerunt<sup>3)</sup> in herdewel, ibique septem castra terrestria preparauerunt pro uxoribus et rebus suis conseruandis, aliquamdiu permanserunt. Qui circumiacentes dominos formidantes de communi consilio VII capitaneos inter se prefeceerunt, et in septem exercitus sunt diuisi; ita ut unusquisque exercitus unum haberet capitaneum, unus namque exercitus habuit tria milia<sup>4)</sup> virorum armorum.

26. Fuerat ex istis capitaneus<sup>5)</sup> ditior et potencior Arpad filius Almus, qui Almus interfectus est in herdewel non enim potuit Pannoniam intrare<sup>6)</sup>. Audientes autem Huni de habitatoribus, quod optimus esset Donubii fluuius, miserunt nuntium nomine Kwsid filium Kwnd, ut iret et totam terram conspiceret, habitatoresque cognosceret. Cumque Kwsid venisset et totam terram conspexisset, et sibi placuisset, deinde venit ad ducem prouincie, qui regnabat posterius Athilam, vocatum Zatapolug; salutauit eum de suis, et tunc pro quo venerat manifestauit. Hec audiens

<sup>1)</sup> omittitur Atila et plures alii in serie. <sup>2)</sup> Noster sequitur chronotaxim codicum B. D. S. <sup>3)</sup> inuenerunt. cod. intrauerunt. Tol. <sup>4)</sup> cum codd. VP. D. nam K. B. S. triginta milia. <sup>5)</sup> capitaneis. cet. <sup>6)</sup> introire.



Zatapolug gauisus est valde, putabat enim eos esse rusticos, ut venirent, et terram eius colerent; propter quod nuncium delicatum remisit. Kysid autem de aqua Donubii lagenam impleuit, et herbam veriarum<sup>1)</sup> ponens in utre<sup>2)</sup> et de terra nigri sabuli accipiens ad suos reuersus est. Qui omnia peroptima habuerunt. Arpad vero cum suis de aqua Donubii cornum implens, ante omnes Hungaros omnipotentis Dei clemenciam rogauit, ut Dominus eis terram in perpetuum concederet. Finitis hys verbis omnes Hungari clamauerunt Deus Deus Deus; et ibi inventus est usus, quem modo Hungari obseruant. Deinde ad predictum ducem eundem remiserunt nuncium, et ei equum album cum sella deaurata, et deaurato freno miserant pro terra sua. Quo viso dux ille magis gauisus est; putabat quod pro quadam terra misissent, unde breuiter dicendo duxit<sup>3)</sup> — — — — — predictos fugiendo ante Hunos in Donubium est suffocatus. Qui quidem Arpad mortuo Zathopolug castra fecit in monte Noe prope Albam.

27. Secundus capitaneus Zobeley<sup>4)</sup> nomine unde Kak<sup>5)</sup> oritur generacio, descendisse (dicitur) in campo ubi Kakwara nunc iacet desolata. Tercius vero capitaneus Gula. Eratque iste Gula dux magnus et potens, qui ciuitatem Albam in Erdewel in venacione sua inuenerat, que iam pridem a Romanis constructa erat. Habebatque filiam pulcherrimam nomine Soroth quam propter pulchritudinem suam Geycha dux consilio et auxilio Welud duxit in uxorem legitimam. Quartus capitaneus fuit Kund, cuius filius Kysid et Cupan prope Nyr fixit tentoria, ubi post baptismum monasterium construxit. Quintus Leel est nominatus, ex isto Zward generacio oritur. Sextus Wyrbulchu,

---

<sup>1)</sup> periarum. <sup>2)</sup> ventre. cod. <sup>3)</sup> post vocem: dux, pagina fere integra desideratur. Librarius nulla lacunae huius ratione habita, pro dux posuit: duxit, continuauitque eodem tenore extrema huius capit. <sup>4)</sup> Zobeley et Zoboley. B. D. Zobulei et Zobolei S. Zobole K. Zoboleh VP. <sup>5)</sup> Chak, Chaak.



qui circa Walatum sua tabernacula fixisse approbatur. Septimus Wrus. Istius siquidem generacio circa Seo locum habebat.

28. Alie vero generationes istis sunt pares, et con-similes; acceperunt sibi loca et descensum ad eorum beneplacitum. Cum igitur codices quidam contineant, quod isti capitanei septem Pannoniam introierint, et Hungaria ex ipsis solis edita sit ac plantata: unde venit generacio Kaak Akus Weor Abe, ac aliorum nobilium Hungarorum. Cum omnes isti non hospites, sed de Scitia descenderunt.<sup>1)</sup> Si ergo septem soli sunt cum familia, et non plures familie, uxores filij filie accipi possunt, serui et ancille; numquid cum tali familia regna possunt expugnari? Absit.

29. Accidit autem temporibus Toxon Hungarorum exercitus versus Galliam ascendisse, qui in reditu Reno transmeato diuisi sunt in tres partes; due sine honore, una cum honore in Hungariam descendit. Quas duas partes dux Saxonie sine septem Hungaris omnes interfecit. Septem autem ex ipsis reseruatis, amputatis auribus misit in Pannoniam. Ite inquit ad veros<sup>2)</sup> Hungaros taliter enarrantes, ut amplius non veniant in hunc locum tormentorum.<sup>3)</sup> Et quia hy septem Hungari se occidi cum sociis aliis non elegerunt, communitas talem sententiam dedisse perhibetur, ut omnia que habebant<sup>4)</sup> amiserunt. quam in re stabili, quam mobili. Ab uxoribus et pueris ipsos separantes, pedites sine calceis, proprium nil habere permisit.<sup>5)</sup> Semper eciam insimul de tabernaculo ad tabernaculum mendicando usquedum viuerent ire compulerunt. Qui quidem septem ob offensam huiusmodi het mogoriek<sup>6)</sup>

---

<sup>1)</sup> Historiam hic de septem Hungaris librarius oscitans prae-termiserat, quam demum cognito errore ad calcem operis adiecit. Nos eam posuimus suo loco a „Si ergo septem soli — usque: Zent lazar zygini.“ <sup>2)</sup> vestros. cet. et Toldy. <sup>3)</sup> Cumanorum. Cod. <sup>4)</sup> cum codd. VP. S. habuerunt. B. D. <sup>5)</sup> permiserunt. <sup>6)</sup> Legitur in codice h c, quod Knauz pro hic positum putabat. Toldy expungit vocem,



sunt vocati. De<sup>1</sup>) istis itaque dampnatis wlgus dicit, non de illis septem capitaneis primis. Propterea *isti iam dampnati*<sup>2</sup>) VII, *cantilenas de seipsis componentes* fecerunt inter

Nos restituimus numerale het (septem). Pro mogoriek Toldy mogorcak, et observat: „id est magyarkák seu parvi viles hungari. Cod. erronee mogoriek scribit.“ Analect. p. 44. Sed non est mendum; antiqui enim magyari dicebant pro magyar; ek vero suffixum pluralis numeri adponebatur etiam voci a o u vocales habenti. Het mogoriek igitur vel het magyarok = septem hungari. Pluralis post numeralia olim in usu. Sic: három királyok napja = festum trium regum, i-e-Epiphaniae. Recentiori aevo postquam ratio numeralia cum nomine singulari construendi invaluit librarii ut lectori faverent ex het magyar-iak vel-iek fecerunt het magyar et Gyak in B. D. het mogor et Gok in S. het mogor et Woh in V. Ecciogor und tzyack apud Muglen. Editor codicis picti omissis vocibus hungaricis, Lazari posuit; Turócius vero mutatis porro quoque hungaricis utramque exhibet denominationem: „Magyorkak et Gyoze siue Lazari sunt vocati.“ <sup>1</sup>) Ex cod. <sup>2</sup>) Toldy emendat: „Praeterea isti capitanei VII.“ et adnotat: „iam dampnati interserit hic ineptus librarius noster; voces sensu omni hoc loco carentes, delendas itaque.“ Analect. p. 45. Jam paulo supra damnatos vocavit auctor mendicos istos, nec aliter eos nominare debuit, cum de seipsis carmina composuisse narrat. Codices B. D. et VP. hic sic habent: „Ideo(que) isti capitanei VII de se ipsis cantilenas componentes fecerunt inter se decantari.“ Codex Sambuci cum Turócio brevius: „Ideo isti capitanei septem de se ipsis cantilenas fecerunt inter se decantari.“ Font. II. 128, III. 32. Hanc sequitur lectionem etiam Muglen: „Do liessen di gewaldigsten haubtleut von in, gesank und pucher machen, daz ir kinder und ir nachkomen sich ruemten ires namens.“ Apud Kovachich p. 24. Mirus librorum in hoc loco depravando consensus! Plerique pro mendicis capitaneos posuerunt auctores cantilenarum; quasi vero maiores nostri Arpad et ceteri belliduces non solum armorum, sed etiam pangendorum carminum periti fuissent. Nec illi quibus postea hoc parum credibile visum est contextum, omnia solummodo versuum compositione, priori integritati restituere potuerunt; nam vox damnati pro capitaneis iam in nullo, praeter nostrum codice exstabat.



se decantari ob plausum secularem et diuulgacionem sui nominis, qui *Zentlazar usque modo zegini nuncupantur*. *Et hi sic vocati, quod sanctus rex Stephanus omnes illicite procedentes corrigebat; istorum generationes vidit per domos et tabernas cantare, ad ipsorum sectas et truffas voluit edoceri, qui per singula qualiter eorum (patribus) acciderant, enarrauerunt. Sed beatus Stephanus consyderans, quod sine capite et principe nemo bonus extitit, ideo eis commisit, ut ad subieccionem cruciferorum sancti Lazari de Strigonio subdere se teneantur, et ideo vocantur Zent Lazar zygini.*<sup>1)</sup> Constat itaque non tantum septem capitaneos Pannoniam conques- trasse, sed eciam alios nobiles, qui de Scitia descenderunt,<sup>2)</sup> unde in ipsis venerari potest nomen dignitatis plus aliis, nobilitatis vero equaliter.

30. Cum quidam sint hospites nobilitate pares Hungaris, inquirendum est, quare istud esse habuit, cum Hungari numero ad implendam Pannoniam suffecissent. Geyche namque dux diuino premonitus oraculo conuertere cepit gentem Hungarorum ad fidem christianorum; et dum monitu illos conuertere non posset, oportebat quedam armis edomare. Ad quod faciendum quia plures (fuere) fidei repugnantes quam adherentes, necessarium habuit desiderium suum diuulgare regibus et principibus christianis. Quo audito huius desiderio, non solum iuuamen transmisserunt, sed eciam personaliter adierunt, quibus fuerat Hungarorum crudelitas nociua ac exitiosa.<sup>3)</sup>

31. Intrauit igitur primum Deodatus de comitibus sancti Seuerini de Apulia, qui fundator extitit monasterii de Tata et parator. Iste eciam cum sancto Adalberto pragensi episcopo sanctum regem Stephanum baptizauit. Il-

<sup>1)</sup> emendauimus iuxta priora: Zent lazar zegini. <sup>2)</sup> Hic interserit librarius minus attentus nonnulla ex genealogia capituli 24-i, quae quia turbant sensum, omisimus. „Qui fuit Gyud, qui fuit Wgud, Ed, Chaba, Torda, Kadicha, Werend, Wilchu, Zumber, Lewentha, Ompud, Mika, Chanad, Wunken, Othmar, Kewy, Kelad.“ <sup>3)</sup> exosa.



lius nomen sanctus Stephanus mutabat seu mutauerat, quia eum Tatam appellabat. Huius quidem generacio in Pannonia non habetur quia sine herede decessit. Descendit quoque de Bauaria Wechelinus,<sup>1)</sup> qui cum sancto Stephano in Symigio ducem Kuppan interfecit. Ex isto secundus Kaak<sup>2)</sup> principium nascitur et origo. Aduenerunt<sup>3)</sup> eciam hys diebus Chunt et Paznan, qui sanctum Stephanum in flumine Goron gladio theutonico accinxerunt. Istorum namque generacio ab istis nominibus distare non videtur. Quos quidem comites tam dux Geycha, quam suus filius amplis hereditatibus ditauere. Istorum eciam consilio et auxilio rex est *Geycha* constitutus. Wors<sup>4)</sup> autem et Gregory generacio de Francia est, ex consanguinitate Cornes. Renoldi generacio est de Hispania cum regina Margaretha coniuge Wele regis filii Zaar Ladislai Pannoniam aducentes. De generatione enim Gunkelad<sup>5)</sup> plura enarrantur, tamen sunt exorti de Swewia, unde imperator Fridericus ortum habuit.<sup>6)</sup> Qui fuerunt tempore Salomonis regis, Ladislai et Geyche; nam tunc ipsa generacio in duas partes diuisa fuit: quidam ducibus adherentes, quidam Salomoni, et specialiter Wid, quem Salomon exaltasse prohibetur super alios in generatione sua. Cuius curia et mansio fuit in Wuziasloka.<sup>7)</sup> Generationem vero Ratoldi de Apulia exiuisse nullus debet dubitare. Fuerunt tempore Colomani regis filii Geyche regis. Hermani eciam generacio cum regina Kysla in Pannoniam introiuit. Generacio vero Wuzad per regem Stephanum filium secundi Wele introducitur in Hungariam. Ex isto origo procedit Wuzad-bani, et exinde Hoholtbani.<sup>8)</sup> Communitas itaque Hunga-

<sup>1)</sup> Toldy mutat: Wencelinus. Sed Wecelinus est lectio recepta codd. VP. B. D. cod. S. habet: Vcelinus. <sup>2)</sup> Jako. VP. Jak. B. D. S. Ex istius sanguine Tol. <sup>3)</sup> Adierunt. <sup>4)</sup> Merse. VP. Gerse. B. Berse D. S. Noster sequitur in istis seriem codd. B. D. <sup>5)</sup> Guth Keled. <sup>6)</sup> habet. <sup>7)</sup> Similia legimus in codice VP. „Venerunt in villam Buzias, in predium Vyd. Font. II. 176. <sup>8)</sup> Omittuntur gesta Hungarorum sub ducibus.



rorum cum suis capitaneis hec et alia huiusmodi usque ad tempora Toxun duxis gessisse perhibetur.

32. Porro Toxun genuit Geycham et Michaellem, Michahel vero genuit Caluum Latislaum et Wazul. Geycha diuino premunitus<sup>1)</sup> oraculo genuit sanctum Stephanum ex Sarolt filia Gyula anno dominice incarnationis Domini CCCCXLIX.<sup>2)</sup> At rex Stephanus plures genuit filios, sed inter alios genuit Emericum Deo et hominibus amabilem. Hic autem per diuini consilii iudicium raptus est de medio.

33. Sanctus autem Stephanus in adolescentia sua contra Cupan ducem Symigiensem forte bellum commisit et gloriosum. Erat enim Cupan filius Calui Zirind, et eodem prelio Wenthelinus Cupan ducem interfecit. Cuius corpus in quatuor partes est diuisum. Nam uniuersum populum in prouincia Cupan ducis degentem decimas liberorum frugum ac portarum suarum<sup>3)</sup> cinobio sancti Martini sanctus rex perpetuo dare decreuit

34. Post hoc beatus Stephanus bellum gessit anno Domini MII contra Gulam awunculum suum, qui tunc tocius ultra siluam<sup>4)</sup> regni gubernacula possidebat; et ipsum Gulam cum uxore et duobus filiis captum in Hungariam misit. Hoc ideo, quia pluries a beato Stephano amoniti ad fidem christianam (non) sunt conuersi. Et ipsum regnum Erdewel monarchie Ungarie adiunxit.

35. Post hoc mouit exercitum super ducem Kaan Wlgarorum et Sclauorum, quem deuicit et occidit et locauit ipi proauum suum nomine Zoltan, et inestimabilem copiam thesaurorum eius, precipue in auro et gemmis ac preciosis lapidibus, accepit. Ex hac itaque gaza sanctus Stephanus Albensem basilicam, quam ipse fundauerat plurimum ditauit. Et quia pecunia illius Gule et Gan fuit

---

<sup>1)</sup> premonitus. <sup>2)</sup> perperam. pro: D.CCCC LXIX. Literam D. Domini legit etiam librarius codicis S. <sup>3)</sup> pecorum suorum. <sup>4)</sup> cod. praepostere: ultra tocius siluam. „ultra siluam,“ etiam S. cum VP. „transilvani“ scribunt B. D.



male aquisita, ideo ipsa ecclesia patitur incendium. Et etiam de thesauro dicti Kan fundauit ecclesiam in honore apostolorum Petri et Pauli in Sicambria.<sup>1)</sup> sed perficere non potuit. Perfecit autem sanctus rex Ladislaus.

36. Cum beatus Stephanus post mortem sancti Emerici nimium se vidisset infirmari, misit festinanter Wudam filium Egeruh, qui Wazul patruelem sui filii,<sup>2)</sup> quem incluserat rex propter iuuenilem lasciuam ut corrigeretur, de carcere Nytrie educeret, ut eum antequam moreretur regem constitueret. Audiens autem hoc Kesla, consilium cum Wuda iniit, et festinanter nuntium nomine Sebus ipsius Wuda filium ad carcerem ubi Wazul detinebatur misit, qui preueniens nuntium regis effodit oculos Wazul, et concauitatem aurium eius plumbo obturauit, et recessit in Bohemiam. Post hunc autem venit nuntius regis, (et) Wazul oculis orbatum in eiusdem<sup>3)</sup> vulneribus duxit ad regem. Quem sanctus rex videns tam miserabiliter destructum, fletum continere non potuit, sed impediens<sup>4)</sup> egritudinis molestia debitam penam malefactoribus inferre non potuit. Beatus autem rex Stephanus sanctitate et gracia plenus XLVI-o anno regni sui, a presenti seculo nequam eripitur, et in Alba ecciam<sup>5)</sup> tumulatur.

37. At regina Keysla cum Wuda Petrum Alemanum fratrem regine regem perficere statuerunt. Anno ergo Petri tercio principes Hungarorum consilio episcoporum conuenerunt aduersus Petrum regem, querebantque sollicite si aliquem de regali progenie inuenire potuissent in regno, qui ad gubernandum regnum contra seuciam Petri esset ydoneus. Cumque alium non inuenissent, de seipsis Abam sororium sancti Stephani super se regem elegerunt.

38. Qui post hoc inter Hungaros crudeliter agebat, pro quo suo facto Gerhardus episcopus Canadiensis<sup>6)</sup> ca-

<sup>1)</sup> Ceteri Veterem Budam nominant. <sup>2)</sup> filium sui patru. <sup>3)</sup> eisdem. <sup>4)</sup> Toldy: in praedictae. <sup>5)</sup> pro: Albensi ecclesia. <sup>6)</sup> Chanadiensis. Episcopatus mentionem non faciunt B. et D.



nonica seueritate corripuit, et sibi periculum imminere predixit. Ad ultimum circa Tyssam ab Hungaris quibus nocuerat crudeliter iugulabatur, et sepultus est in suo proprio monasterio in Saros.

39. Interim Petrus rex totam Hungariam tam magnis afflixit angustiis, ut magis eligerent mori quam ita miserabiliter viuere. Tunc nobiles Hungari in Canad conuenerunt, consilioque tocius Hungarie nuntium miserunt in Rusciam ad Andream et Lewentam filios Calui Latislai, qui ex consilio sancti Stephani exierant Hungaria, dicentes, quod totalis Hungaria eos fideliter expectaret, et uniuersum regnum eis, sicut regali semini libenter obsequeretur; tantummodo<sup>1)</sup> eos a furore Theotonicorum liberarent. Petrus autem rex videns Hungaros unanimiter adhesisse ducibus, qui pre nimio dolore fugam iniit versus Musun, pernoscens se non posse euadere manus ducum, uiuum se dedit captiuare. Qui statim fuit obcecatus, et Albam ductus. Qui pre nimio dolore uitam in breui finiuit. Sepultus enim est Quinque-ecclesiis in basilica quam fundauerat.

40. Porro dux Andreas anno Domini MXLVII coronatus est, qui postea per Hungaros in porta Musun captus est, et sepultus in Tyhon iuxta lacum Walatun cum suo filio Dauid. Post hoc dux Wela coronatur. Tenuit autem regnum pacifice, et quesiiuit bona genti sue. Qui mortuus est, et sepultus in loco qui dicitur Zukzard.

41. Post hoc regnauit Salomon. Tempore cuius pagani a superiore parte Mezes prouinciam Nyr usque ciuitatem Wihar deuastarunt. Rex uero Salomon animositatis audacia quasi reptando ad paganos ascendit, qui super eum sagittarum imbres effundebant. Dux autem Geycha sagittis irruit super Cunos. Cuius frater Ladislaus ex fortissimis paganorum primo impetu quatuor interfecit, et a quinto per sagittam grauiter est vulneratus, sed diuina miseracione est curatus. Vidit denique beatus Latislaus dux

<sup>1)</sup> num. cod. tantum. Toldy. tantummodo. ceteri omnes.



unum paganorum, qui super dorsum equi sui ducebat unam puellam Hungaram speciosam. Sanctus ergo dux Latislaus (putans) illam esse filiam Varadiensis episcopi, videlicet Kunues Colomani; et quamuis esset vulneratus, tamen illum celerrime persecutus (est). Clamavit itaque sanctus Latislaus: Soror speciosa, accipe Cunum in cingulo, et iacta te in terram. Quod et fecit. Cunum<sup>1)</sup> in terra iacentem voluit interficere, quem puella valde rogauit, ne illum interficeret. Unde per hoc notatur, quod in mulieribus fides non est. Sed postea interfecit. Rex ergo et gloriosi duces fere omnibus paganis interfectis, et omnibus christianis a captiuitate liberatis, cum triumpho victoriae gaudentes redierunt.

42. Factum autem est tercio anno post aduentum Cumanorum<sup>2)</sup> Bisseni per Albam Wulgaricam venientes transnatauerunt flumen Zawa, in campum Wuzias, et non modicam gentem captiuorum diripientes in suam terram abduxerunt. Rex autem et duces imposuerunt crimen traditionis Albe Wulgarice, eo quod pace defraudata voluntarie permisisset latrunculos Bissenorum depredare Hungariam. Collectis itaque exercitibus rex in Nandur Weruar<sup>3)</sup> Zauam transiuit. Greci autem et Wulgari simul contra Hungaros tenebant. Sed post fugam Grecorum et Nicocha ducis, Hungari ciuitatem obsederunt et innumerabilem pecuniam exhauserunt. Multo magis Greci et Wulgari confidebant de lenitate Geyche, quam de Salomone. Ad manus regis Salomonis pauci confidebant, quod nouerunt ipsum esse austerum et pessimis consiliis Wid ascultantem.<sup>4)</sup> Hec ergo fuit causa discordie inter eos. Qui quidem rex Salomon per duos duces deuictus fugit ante eos in Posonium. Post fugam vero Salomonis Geycha dux compellentibus Hungaris coronatus (est). Qui post coronacionem fundauit

<sup>1)</sup> Cum. Toldy. <sup>2)</sup> Sic etiam cod. S. Cunorum VP. B. D.

<sup>3)</sup> Nandur feyruar. B. <sup>4)</sup> Sic omnes codices praeter B. ubi: „auscultantem“ hanc lectionem substituit Toldy in nostro, sicut prius fecerat in cod. VP.



ecclesiam Wachiensem; et post multa bella (in) grauem infirmitatem incidit, et mortuus Wacieque tumulatus est.

43. Audita vero morte Geiche regis, conuenit uniuersa multitudo Hungarie; communi consensu Latizlaum ad gubernacionem regni elegerunt. Ipse primus Dalmaciam et Croachiam sue monarchie perpetuo subiugauit. Cum enim rex Zoromerus<sup>1)</sup> sine liberis decessisset, eius uxor, regis soror Latizlai, ab inimicis viri sui multis iniuriis pregrauata, auxilium sui fratris Latizlai regis in nomine Jesu Christi postulauit. Cuius iniurias rex grauiter vindicauit, et Croachiam atque Dalmaciam sibi restituit. Quam propterea predicta regina<sup>2)</sup> (suo) subdidit dominio; quod secundum iustitiam legalem<sup>3)</sup> sibi competebat hereditas. Post hoc autem rex Latizlaus deprehendit furibundum Salomonem, et captum misit in Wisegrad in carcerem. Sed postmodum dimissus est de carcere in eleuacione corporum sancti Stephani regis, et beati Emerici confessoris. Post multos uero labores et pugnas migravit ex hoc seculo ad Dominum, et sepultus est Pole in ciuitate Ystirie. Post cuius obitum sanctus rex Latizlaus regnauit XIX annis et tribus mensibus et tribus diebus.<sup>4)</sup> Migravit ad Dominum MXC. nono kal. Augusti.<sup>5)</sup> Cuius sanctissimum corpus Waradini deuotissime ueneratur.

44. Post ipsum regnauit Colomanus filius Geycha regis, in cuius temporibus mala sunt multa perpetrata.<sup>6)</sup> Ipse enim Welam filium ducis Almus adhuc infantem, ex

<sup>1)</sup> Sic B. D. Zolomerus dedit Toldy cum VP. <sup>2)</sup> Quam postea a predicta regina VP. <sup>3)</sup> regalem. VP. <sup>4)</sup> consentiunt codd. A. et D. dies non apponunt B. S. nec menses VP. <sup>5)</sup> III. Kal. Aug. VP. IV-o Kal. Aug. feria prima A. B. D. S. et hoc uerum; anno enim 1095 dies 29 Iulii, fuit dies dominicus. In breuiario Strigoniensi anni 1519. 29-a Iulii: Depositio Ladislai regis notatur. <sup>6)</sup> Sequitur lectionem codicis S. Mentionem malorum facit etiam VP. sed caecationem Almi et Belae non statim subiungit. codices B. D. sine praevia mentione malorum, narrant caecationem.



quorundam consilio, tractum de matris gremio excecauit, ut non sit dignus portare coronam sancti regis. Iste Colomanus fuit episcopus Waradiensis, sed quia fratres quos habebat morte sunt preuenti, ideo summo pontifice cum eo dispensante regnare compellitur. Qui ab Hungaris Kunues Calaman appellatur, eo quod libros habebat, in quibus horas canonicas ut episcopus persoluebat. Regnavit autem annis XVIII mensibus sex. Migrauit ex hoc seculo anno Domini MCXIII. Cuius corpus Albe quiescit.

45. Cui successit Stephanus filius eius, qui regnavit annis decem (et octo), et mortuus est anno Domini MCXXXI. Cuius corpus Waradini quiescit. Post ipsum regnavit cecus Wela. Creuit itaque<sup>1)</sup> puer cecus regnante Stephano filio Colomani regis, et mortuo ipso coronatur. Et genuit quatuor filios: Geycham Latizlaum, Stephanum, et Almun. Cuius uxor nomine Helena<sup>2)</sup> habito consilio regis, illos quorum consilio fuerat obceçatus, iuxta Arad crudeliter fecit detruncari. Regnavit igitur<sup>3)</sup> ipse Wela cecus IX annis, et mortuus est anno Domini MCXLI, et corpus eius Albe quiescit. Regnavit autem post eum Geycha filius eius annis XX. mensibus tribus et mortuus est, et requiescit Albe Regali.

46. Postea regnavit Wela filius eius<sup>4)</sup> XX annis et mortuus est MCXCIX. Cui successit Emericus filius eius et regnavit annis VIII. Huius uxor domina Constancia filia regis Aragonie. Mortuus est anno Domini MCC. Corpus eius requiescit in ecclesia Agriensi. Post hoc regnavit filius — — —<sup>5)</sup> — — Endre filius Wele, filii Gey-

<sup>1)</sup> Cum codd. A. et S. „autem“ habent B. D. <sup>2)</sup> Elena A. et VP. retinent nomen B. D. <sup>3)</sup> Consentiant A. S. et VP. autem. B. D. <sup>4)</sup> mancum habuerit ante oculos codicem librarius: nam sine mentione Stephani III. et patruorum eius, Belam filium appellat praecedentis regis, nimirum Geizae; non ut ceteri codices fratrem, scilicet Stephani; cuius memoriam Toldy incuria scribae putabat esse praetermissam. <sup>5)</sup> eius Ladislaus.



che filii Ceci Bele,<sup>1)</sup> cuius uxor fuit Domina Gertrud de Almania, de qua genuit Welam, Colomanum, Andream et beatam Elizabeth. Sed proh dolor! humani generis inimico procul dubio (suadente) uxorem Wankbani magnifici principis domina memorata vi tradidit cuidam suo fratri<sup>2)</sup> hospiti deludendam. Quam ob causam idem Wankbanus de genere Woor suum gladium in regine sanguine miserabiliter cruentauit, et diro mucrone anno Domini MCCCXII interfecit. Cuius corpus in monasterio de Pylis tumulatur. Pro cuius nece in omni genere Wankbani execrabilis et orrendus est sanguinis effusio subsecuta. Post hoc rex<sup>3)</sup> Endre terram sanctam visitauit ad mandatum domini pape implens votum patris sui. Mansit autem ibidem tribus mensibus. Regali denique thesauro exposito, diuersorum sanctorum reliquie per ipsam comparantur. Transactis itaque IX annis, rex gloriosam<sup>4)</sup> suam filiam Elizabeth nobili viro Ludwico Turingie Landgrauio in Christo copulauit. Migravit autem rex Endre<sup>5)</sup> anno Domini MCCXXXV, XXX-o anno regni sui. Cuius corpus in monasterio abbatum de Egres iuxta fluuium Morus requiescit.<sup>6)</sup>

47. Rex Wela filius eius post eum coronatus est in kathedrali ecclesia beati Petri in Alba, quam ipse consecrari fecit, Colomano duce fratre eiusdem ense regalem ad latus eius honorifice tenente, Daniele vero duce

<sup>1)</sup> Calmani cod. <sup>2)</sup> cuidam fratri hospiti VP. <sup>3)</sup> regnauit. cod. <sup>4)</sup> generosam, ceteri. <sup>5)</sup> ceteri codd. ubique „Andreas“ scribunt. <sup>6)</sup> in monasterio de Egrus feliciter requiescit. A. S. VP. „Varadini ad pedes S. Ladizlai requiescit.“ B. Utrobique sepultum fuisse scribit Dubnicensis. Font. III. p. 103. Hanc discrepantiam exhibent Annales etiam minores. Egrus enim vel Egres habent chronica, Monacense, Zagrabiense et Varadiense; (Font. III. pp. 244, 258) Varadinum designant Genealogiae. Cornidesiana: „Cuius corpus Waradini quiescit ad pedes sancti Ladislai“ — et Toldyana: „Sepultus in templo Varadiensi“



Ruthenorum equum suum ante ipsum summa cum reuerencia ducente. Tempore autem istius Wele regis anno Domini MCCXLI. Tartari cum quinquies centenis milibus regnum Hungarie inuaserunt. Contra quos Wela rex iuxta fluuium Seo<sup>1)</sup> *prope villam Muhi* prelians vincitur. *In quo prelio mortuus est Ugrinus archiepiscopus de genere Kaak*, et fere extinguitur milicia Hungarie uniuersa. Ipse vero Wela rex ad mare fugam fecit, et *Tartari usque ad insulam Raab vocatam ipsum sunt insecuti. Colomannus vero regis frater letaliter vulneratus in sua fuga viam uniuerse carnis est ingressus. Cuius corpus tumulatur in villa Yuanth in ecclesia Weginarum.* Manserunt enim ipsi Tartari in Hungaria tribus annis, et quia seminare non poterant Hungari, ideo multo plures post exitum illorum fame perierunt, quam in captiuitatem ducti sunt, et gladio ceciderunt. Post (hec) anno Domini MCCXL congregauit exercitum copiosum contra Othocarum regem Bohemorum circa Morauiam cum filio suo Stephano duce et Ahna<sup>2)</sup> duce Cumanorum. Sed victus fuit circa Heymburg. Erat enim vir pacificus non fortunatus. Ipsius eciam tempore anno Domini MCCXLIII<sup>3)</sup> plebs flagellis se feriendo uniuerse discurrebant. Obiit autem anno Domini MCCLXX feria sexta in festo Inuencionis sanctae Crucis in insula Wudensi, et sepultus est Strigonii apud fratres Minores, in ecclesia Beate Virginis quam edificare ipse inchoauerat, cum consorte sua Maria nomine, imperatoris filia Grecorum, et duce Wela suo filio feliciter requiescunt. *In qua ecclesia eciam nunc domina Agatha, cuius ossa de sancto Yrinea de ecclesia fratrum Minorum contumularunt, requiescit* Cuius quidem corpus Wela regis Philippus archiepiscopus Strigoniensis in<sup>4)</sup> ecclesia memorata auferri exhumando fecerat contra iura, et in sua kathedrali ecclesia indebite tumulari. Super quo facto coram summo ponti-

<sup>1)</sup> Sic etiam VP. A. et S. Sayo. B. D. <sup>2)</sup> Alpra. cet. Ahua. Tol. <sup>3)</sup> pro: MCCLXIII. <sup>4)</sup> pro: de.



ficæ causa diu ventilata fratres Minores cum honore maximo rehabere meruerunt.

48. Post ipsum anno Domini MCCLXX<sup>1)</sup> cepit regnare Stephanus filius eius, qui Ottocarum regem Bohemorum cum diuersis nacionibus in Hungariam venientem ad fluuium Rabcha deuicit viriliter et fugauit. Postea Wuden<sup>2)</sup> ciuitatem Wulgarorum et Wulgaros superans regem eorum sibi compulit deseruire. Regnauit autem duobus annis, et mortuus est in Magna insula, et sepultus est in ecclesia Beate Virginis in insula Wudensi in loco Beginarum.

49. Cui successit Ladizlaus filius eius, et coronatus est eodem anno quo mortuus est pater eius, videlicet anno Domini MCCLXXII.<sup>3)</sup> Qui rex Ladizlaus anno Domini MCCLXXVI imperatore<sup>4)</sup> adiuuante circa Morauiam occidit regem Ottogarum supradictum in prelio. Postea anno Domini MCCLXXXII Oldamyr dux Cumanie congregato exercitu Cumanorum circa lacum Hoold<sup>5)</sup> vocatum volens hostiliter inuadere regnum Hungarorum, ut suo dominio subiugaret; contra quem<sup>6)</sup> rex Ladizlaus ut fortis Josue pro gente sua et regno<sup>7)</sup> pugnaturus accessit. In cuius exercitu Lorandus filius Thoma, miles strenuus contra Cumanos lanceauit cum impetu, plurimos percussit et prostrauit. Postea cum prelium committeretur inter partes, subito ex diuina clemencia pluuia grandis exoritur contra faciem paganorum, et qui in arcibus sperabant et sagittis, propter imbrium densitatem iuxta propheticum facti sunt ut stercus terre. Et sic rex Ladizlaus victoriam obtinuit diuino fretus auxilio. Tandem postea pauci qui ex ipsis remanserant ad Tartaros fugierunt.

---

<sup>1)</sup> MCC septuagesimo primo. B. et D. <sup>2)</sup> Bodun. B. D. Budun. VP. A. Budim. S. <sup>3)</sup> MCC septuagesimo tertio. VP. B. D. <sup>4)</sup> Addidit manus aliena, ut Toldy adnotat: „siue Rudolfo duce Austrie primo, comite domus Habsburgice.“ <sup>5)</sup> Hood. <sup>6)</sup> eum. <sup>7)</sup> cum ceteris. In editionibus Toldyanis „et regno“ desiderantur.



Quorum instinctu Tartari anno Domini MCCLXXXV secunda vice in Hungariam venerunt, et usque Pesth uniuersa miserabiliter combusserunt. Iste enim rex Ladizlaus filiam regis Karuli de Apulia in coniugium habebat, sed spreto thoro coniugali, filiabus adhesit Cumanorum, Ayduam<sup>1)</sup> et Mandulam ac alias quam plures in concubinas habebat, quarum amore cor eius est morte dampnatum,<sup>2)</sup> et suis iobagionibus et regni nobilibus habebatur odio. Tandem Philippus Firmanus aduenit sedis apostolice legatus, (et quia) multa contra mores christianos habebat, abutentes<sup>3)</sup> emendabat, regem eciam anathematis vinculo feriens, ut paganos odiret, ritum christianorum diligeret, et thoro uteretur coniugali. Sed nichil proficiens in rege repatriauit. Post in breui tempore ipse rex anno Domini MCCIC feria secunda ante festum Beate Margarete prope castrum Chyrusug<sup>4)</sup> ab ipsis Cumanis, videlicet Arbuz Turtel<sup>5)</sup> ac aliis, quibus ipse adheserat, miserabiliter est interemptus. *Nicolaum fratrem Aydua dictum*<sup>6)</sup> *iidem lethabiliter vulnerarunt.* Tempore istius regis Ladizlai cepit Hungaria deflecti ac anichilari.

50. Post cuius obitum eodem anno dux de Veneciis coronatur qui viuento adhuc Ladizlao rege deductus fuerat. Corpus autem regis Ladizlai tumulatur Chanadini in ecclesia cathedrali. Cuius quidem Andree regis ortum et originem videamus, qua ratione meruit coronam Hungarie accipere. Cum enim rex Endre pater Bele regis et Colomani ducis, interfecta prima uxore sua, ut superius diximus, mare ad mandatum ecclesie transfretasset ad terram sanctam, ibi victor existens reuertebatur cum honore magno. Tandem in Italiam applicuit, et quadam vice apud marchionem Estensem magnifice hospitatus.

<sup>1)</sup> Eduam. A. B. D. S. <sup>2)</sup> merito deprauatum. <sup>3)</sup> abusus. Toldy.

<sup>4)</sup> Kyriszeg A. Kyriszug. B. et D. Cyriszeg S. Kereszeg. VP. et Vat.

<sup>5)</sup> horum nomina in B. D. et Vat. leguntur. <sup>6)</sup> Huius viri caedem regis vindicantis B. D. et Vat. meminerunt.



Ille vero marchio recognoscens regem esse viduum, filiam suam nomine (Beatricem) excellenter pulchram et bene ornatam aspectui regis fecit astare ad mensam. Rex vero videns eam pulchram, et suis oculis graciosam, cum absque hoc ducere vellet uxorem, cum eadem puella eadem die contraxit,<sup>1)</sup> et in Hungariam secum duxit. Mortuo vero rege Endre domina ista volens redire ad suos parentes, conuocatis principibus regni Hungarie, archiepiscopis, et episcopis se grauidam prole manifestis indiciis monstrauit, et sic est reuersa in terram suam, et ibi apud patrem suum puerum masculum peperit, quem in baptismo Stephanum vocauerunt. Qui nutritus et educatus est sub hoc tytulo, quod filius esset regis Hungarie. Tandem ad ultimam<sup>2)</sup> deueniens etatem, voluit usurpare marchionatum dolose aui sui, sed auus suus preualens ipsum aufugauit. Et ipse Stephanus abiit fugiens in Hyspaniam ad Iacobum regem Aragonie, qui habebat in uxorem illius sororem Stephani, filiam regis Endre regis Hungarie. Et ibi aliquamdiu commoratus, iterum in Italiam veniens electus est potestas a ciuibus in Rauenna. Inde fugatus venit Fenecias. Ibi autem vir quidam ciuis Fenetum ciuitatis potior, cognoscens et sciens veraciter hunc esse filium regis Hungarie tradidit sibi filiam suam in uxorem, et omnium suorum bonorum participem eum constituit. Ex illa autem Stephanus habuit filium, quem Andream nomine patris sui vocauit. Qui Andreas consilio et auxilio auunculorum suorum, qui erant infinitarum diuiciarum, viuente adhuc rege Ladizlao in Hungariam subintrauit, eo quod esset dux, qui querere<sup>3)</sup> deberet porcionem in regno, tytulo regis Endre aui sui. Cum autem rex Ladizlaus fuisset occisus, a baronibus regni coronatur. Qui anno secundo regni sui cum exercitu maximo Austriam debellauit.

51. In cuius imperio quidam magni principes regni

<sup>1)</sup> Sic etiam codd. A. S. matrimonium add. VP. B. D. <sup>2)</sup> pro: adultam. quod tamen in codd. non reperitur. <sup>3)</sup> deberet habere.



Hungarie, videlicet Vgrinus filius magistri<sup>1)</sup> Pous de genere Kak Joannes Nicolaus et Henricus banus filii Henrici, *Magister Laurencius dictus Chete cum filio suo magistro Leukus*<sup>2)</sup> ac alii plures in preiudicium regis Andree a papa Bonifacio VIII regem pecierunt. Quorum instanciam papa admittens, quemdam puerum XI annorum nomine Karolum anno Domini MCCXCIX viuentem adhuc Andree rege in Hungariam destinat. Cuius Karuli generacio et origo taliter habetur. Rex Stephanus filius Bele<sup>3)</sup> habuit duas filias, Mariam et *Katherinam*. *Dominam Katherinam tradidit Stephano regi Sclauonie*, Mariam vero Karulo Claudio, qui ex ordinacione ecclesie fuit rex Sicilie. Qui rex Karulus Claudus ex illa filia Stephani regis Karolum Martellum vocabulo,<sup>4)</sup> Karolus vero Martellus ex filia imperatoris Rudolphi Clemencia nomine, genuit filium, quem primo vocauerunt Karobertum, in Hungaria autem Karolum vocauerunt. Ut autem iste Karolus regnare valeret, et contra regem Andream potestatem accipere, papa prefatus legatos unum et alium de latere suo destinat; qui nichil agere valentes ad propria redierunt. Interim anno Domini MCCC primo, in festo sancti Felicis in Pincis idem rex Andreas in castro Budensi requieuit in Domino, et sepultus est in ecclesia beati Johannis Euangeliste, apud Fratres Minores.

52. Postea mortuo rege Andree barones regni (in) duas partes scinduntur, ita quod Vgrinus, Matheus, et Homodeus ac ceteri pociores regni Karolo puero adheserunt: Dominicus vero filius Stephani, Demetrius filius Nicolai, et Henricus Henrici filius cum Johanne archiepiscopo Colociensi (et) aliis quibusdam episcopis versus Bohemiam processerunt ad regem Wenceslaum, ut regni susceperet gubernacula Hungarorum; ne regni<sup>5)</sup> libertatem amitterent, in suscepcione per ecclesiam dati regis. Ad

---

<sup>1)</sup> magni. cod. <sup>2)</sup> Zleukus. Toldy. <sup>3)</sup> Toldy hic et supra cap. 50. Welae scribit propria auctoritate; codex enim bele habet. <sup>4)</sup> Sic A. B. D. S. nomine. VP. <sup>5)</sup> liberi. add. VP. A. S.



ipsum autem regem Bohemie ob hanc rationem posuerunt gressus suos, quia rex Ottagarus qui per regem Ladizlaum<sup>1)</sup> fuit interfectus, habebat in uxorem filiam Domine Anne filie Bele regis, qui ex ea genuit filium nomine Wenceslaum qui regnauit in Bohemia patre mortuo multis annis. Qui Wenceslaus venire noluit, sed filium suum ex filia imperatoris procreatum nomine similiter Wencezlaum, in quadam villa Godyn nomine, quo<sup>2)</sup> prenominati<sup>3)</sup> nobiles et episcopi conuenerunt in regem Hungaris tradidit naturalem; et ipsi confectis literarum instrumentis, et roborato fidei firmamento, unanimiter susceperunt. Abhinc „Te Deum laudamus“ cantantes in Albam deuenerunt, ubi Johannes archiepiscopus Colocensis cum aliis episcopis honorifice<sup>4)</sup> coronauerunt. Sedes namque archiepiscopatus vacabat, *sed electus ipsius ecclesie erat Gregorius filius Wotend custos tunc Albensis ecclesie*. Inde Budam venientes, ibique Johannes archiepiscopus obdormiuit in Domino, et Jacobus episcopus Zipisiensis<sup>5)</sup> quieuit in pace Quorum corpora tumulantur in ecclesia sancti Johannis Euangeliste apud Fratres Minores. Postea rege iam dicto, quem in Hungaria Ladizlaum vocabant, in Buda degente, nullum castrum<sup>6)</sup> nullum ius regale conferuntur. Rex Wencezlaus pater eius considerans palleatas versucias, *et non sanam partem*<sup>7)</sup> Hungarorum anno Domini MCCCIII. cum multitudine exercitus Pannoniam est ingressus, et Ladizlaum filium suum cum corona regni accipiens, et Ladizlaum filium Wernali<sup>8)</sup> *et alios ciues burgenses non nobiles*<sup>9)</sup> capiens in suum regnum reuertitur in pace.

53. Eodem tempore Frater Nicolaus de ordine Fratrum Predicatorum tunc Hostiensis et Welletrensis apostolice sedis legatus, pro Karolo rege in Hungariam venit.

<sup>1)</sup> Ladislaum regem. B. D. <sup>2)</sup> ubi. B. D. <sup>3)</sup> prefati. <sup>4)</sup> eum. add. VP. <sup>5)</sup> Scepsensis. A. VP. Scepusiensis B. D. <sup>6)</sup> nulla potencia seu potestas. add. A. S. VP. <sup>7)</sup> et non san. par. om. eeteri. <sup>8)</sup> Vernerii. A. S. VP. Vernheri. B. D. <sup>9)</sup> et quosdam alios. A. B. D. S.



Qui Bude residendo diebus plurimis<sup>1)</sup> videns se nichil proficere, reuersus est in curiam, et ibi mortuo Bonifacio papa VIII-o in summum pontificem electus et creatus et Benedictus appellatus. Interim<sup>2)</sup> vero filii Henrici, et quidam alii minus nobiles, (qui) sibi filium regis Bohemie proficere non ualuerunt<sup>3)</sup> Ottonem ducem Bauarie subintroducunt in regnum Hungarie, qui coronam regni a Wenceslao ablatam secum ferens, anno Domini MCCC.V. Albam Regalem petiit et ibi coronatur in regem. Qui in breui in Transsiluanis partibus cum Beka filio Thome venit, ubi Ladislaus Boyuoda ipsum captiuauit, et in castro suo tenuit multis diebus. *Et postea idem Ladizlaus Boyuoda Ottonem ducem Magistro Wogrino, pre omnibus fauenti Karolo regi in Zegedino tradidit ad suum libitum.* Qui postmodum dictum Ottonem ducem de regno expulerunt.

54. Cum ergo Karolus rex Bude moraretur, *nec haberet aliud de iure regali preter Pazagauar cum suis pertinenciis, quod castrum restituerat sibi Wogrinus conseruator suus, Frater Gentilis tunc<sup>4)</sup> sancti Martini in montibus presbiter Cardinalis de ordine Fratrum Minorum, ex auctoritate summi pontificis anno Domini MCCCIX pro rege Carolo in Hungariam venit, qui multos barones et nobiles et specialiter Ladizlaum Woyuodam pro corona regni quam de Ottone duce abstulerat, anathematis vinculo innodauit. Anno Domini MCCCXII cum rex Karolus regale castrum Sarus uocatum a Demetrio Nicolai filio ex mandato Mathei de Drinkin possessum suis viribus obsideret, idem Matheus omnes suos milites quos potuit, contra regem Karolum in adiutorium Demetrii destinauit, ut ipsum regem de suo castro pelleret prepotenter. Quorum aduentum rex audiens, putauit se non posse resistere, et in Zepus se recepit, et inde cum equitibus et peditibus egre-*

<sup>1)</sup> aliquot. VP. <sup>2)</sup> interdum. <sup>3)</sup> Toldy neglecta lectione codicis: „(qui) per fil. r. Boh. proficere n. ualuerunt.“ dedit. <sup>4)</sup> Toldy: tituli.



diens, circa fluuium Harnald<sup>1)</sup> cum exercitu Mathei in pugnam deuenere,<sup>2)</sup> quos viriliter deuincens, multos ex eis interfecit. Demetrius vero et Aba *de Sempte* ac duo filii Omodei (mortis) debita persoluerunt. Ex parte vero regis decesserunt, videlicet: Magister Kokos filius — Stephani,<sup>3)</sup> — filius Bagon, Ladizlaus filius Thome, Jacobus filius Aladarii, Michahel filius Thome, Jacobus filius Aladarii, Michahel filius Petri, Gurka et Michahel filii Gurka, et alii multi preclari nobiles Hungarie sub vexillo regis corruerunt. Interempto<sup>4)</sup> Gurk vexillario regis, et rex illo cadente sub vexillo cruciferorum pugnaverunt,<sup>5)</sup> et Dei gracia victoriam gloriosam obtinuerunt.

55. Anno Domini MCCCXVI<sup>6)</sup> Domina Maria prima consors Domini regis natione Polona, tercia die post festum sancte Lucie in Tumuswar vitam presentem feliciter terminauit. In Alba regali est sepulta. Anno Domini MCCCXVIII accepit rex Dominam Beatricem filiam regis Romanorum, sororem regis Bohemorum, que in reuolucione eiusdem anni obdormiuit in Domino, et Waradini in ecclesia Kathedralli tumulatur. Eodem anno rex habuit filium de concubina<sup>7)</sup> sua quam acceperat de magna insula Donubii, quem appellauit Colomannum. Secundo<sup>8)</sup> anno mortuus est Matheus palatinus. Anno Domini MCCCXX accepit rex filiam Ladizlai (regis) Polonorum Elizabeth nomine, de qua anno Domini MCCCXXI, filium habuit, qui eodem anno mortuus est, et Albe sepultus. Anno

<sup>1)</sup> Garnald. cod. Harnald. B. D. S. Hernald. A. Harnald. VP.

<sup>2)</sup> deuenit. Toldy. <sup>3)</sup> pro: Kokos filius magistri Stephani. Cod. sr. habet, forsitan pro mr. Toldy Or. ponit. <sup>4)</sup> Toldy praeponit: se.

<sup>5)</sup> pugnavit. B. D. rege pugnante. A. S. VP. Toldy sua auctoritate: „pugnauerat — obtinuerat.“ <sup>6)</sup> MCCCXV. VP. MCCCXVII. A. B. D. S. <sup>7)</sup> Narrationem hanc in plurimis Chronicorum nostrorum codicibus desideratam, exhibet. cod. Dubnicensis p. 57 Font. III. 119, et Henricus de Muglen; additque Colomannum hunc a patre episcopum Jauriensem creatum fuisse. <sup>8)</sup> Eodem. A. D. S. VP.



Domini MCCCXXIV in Wissagarad in festo sancti Remigii de eadem regina habuit filium nomine Ladizlaum. Anno Domini MCCCXXV. inchoavit Dominus rex Fratribus Minoribus edificare ecclesiam in Lipua<sup>1)</sup> ad honorem beati Loys noui sancti episcopi Tholosani, qui fuit frater carnalis patris sui, scilicet primogenitus Karoli regis Sicilie, filius Marie regine filie Stephani Hungarorum regis, filii Bele III-i. Anno Domini MCCCXXVI natus est eidem regi filius, quem nomine consanguinei sui Loys appellauit. Anno Domini MCCCXXVIII.<sup>2)</sup> feria quarta ante Dominicam Palmarum ecclesia Beate Virginis de Alba Regali, quamuis plumbo tecta fuisset, flebiliter est combusta, uno campanili excepto, quod est supra sacristiam, ubi sanctorum reliquie conseruantur, quod nemo dubitat eorum meritis remansisse. Anno Domini MCCCXXX. feria sexta ante festum beati Martini in terra Wazarad Karolus rex fraudulenter est deuictus, et multi Hungarorum barones et nobiles, inter quos Andreas prepositus Albensis, miserabiliter sunt interempti.

*(Explicit) Cronica regni Hungarie.*

---

<sup>1)</sup> Sic A. S. Lyppa. B. D. Lyppua VP. <sup>2)</sup> MCCCXXVII. cet.



II.

MAGISTRI ROGERII

MISERABILE CARMEN

**super destructione regni Hungariae per Tartaros facta.**

EPISTOLA

*Magistri Rogerii in miserabile carmen super destructione Hungariae per Tartaros facta editum, ad Reuerendum dominum Joannem Pesthensis ecclesiae episcopum, feliciter incipit.*

Licet; ut liqueat dominationi vestrae ingressus et processus Tartarorum Hungariam intrantium in ignominia Crucifixi; perniciem stragemque non minimam populi christiani, per praesens opusculum vestro nomini reddi de gestis ipsorum, sine falsitatis admixtione collectum, quod cum diligentia perlegatis.

Multa quidem inuenietis in eo quae meo subiacuerunt aspectui, plurimaeque propriis palpauit manibus, nonnullaeque a fide dignis didici, in quorum illa fuerunt praesentia perpetrata. Si autem interdum reperietis aliqua, quae sensui hominum cernantur terribilia et horrenda, me scriptorem et res minime admirentur, sed gratias referant regi regum, qui suae oblitus misericordiae, suo angariato populo non pepercit. Nam a regalibus sedibus in exterminii terram prosilientibus, limo eorum oculos non liniuit; imo exacuit gladium velut fulgur. Visitauit iniquitates eorum non in baculo sed in virga, et peccata non fomentis lenibus, quibus suos consueuerat consolari, sed in verberibus et in ira, subsannando eos cum irriguit<sup>1)</sup> calamitas repentina; sicque

<sup>1)</sup> fors irruit vel irrupit.



Hungaria plena populo sedet sola. Rogo igitur et affectuose deosco, quatenus cum de vita et ipsorum moribus atque pugna describere voluerim veritatem, si de tristi materia et horrenda flebilis, inire compulsus sum moestos modos, vos, vel quisque lector rectam conscientiam falsis opinionibus non supponat; quod praesumptuosa temeritas patefecit aditum illicitis ausibus vel nociuis. Quia non ad deprehensionem cuiquam vel derogationem, sed ad instructionem id potius examinaui; ut legentes intelligant, et intelligentes credant, credentes teneant, et tenentes percipiant, quod prope sunt dies perditionis, et tempora properant ad non esse. Et sciant cuncti haec me temere non referre; quod quisquis ad manus ipsorum deuenerit Tartarorum, si natus non fuisset melius esset ei; et sentiet se non a Tartaris sed in tartaro detineri. Hoc refero ut expertus. Fui enim per tempus et dimidium temporis inter eos; in quo mori solatium exstitisset, sicut supplicium fuit vita.

## I.

*De intentione regis Belae.*

Cum Bela rex Hungariae inter principes christianos zelator catholicae fidei nosceretur, ad instar progenitorum suorum Stephani Emerici Ladislai et Colomani regum, qui sanctorum catalogo sunt adscripti, inter alia pietatis opera, quae ipse in propatulo, ut benefaciendi exemplum praeberet, et alia quae in conclauis, ut ora iniqua loquentium contra eum obstrueret, exercebat; in mente gessit assidue prauas et extraneas nationes ad gremium matris ecclesiae attrahere; ut animabus quam plurimis lucrefactis, suam facilius deduceret lucrifactam ad aeterna gaudia beatorum.



## II.

*Quomodo rex Bela introduxit regem Comanorum in Hungariam.*

Igitur anno MCC quadragesimo secundo<sup>1)</sup> ab incarnatione Domini sic euenit quod Kuthen Comanorum rex ad dictum regem solennes nuncios destinauit, asserens se multis annis cum Tartaris pugnauisse, ac obtinuisse duabus vicibus victoriam contra eos, tertia vero vice, cum existeret imparatus, terram suam subito intrauerunt ita, ut ipso habere exercitum nequeunte, eum dare terga oportuit Tartaris sceleratis, et sic magnam partem terrae ipsius, hominibus interemtis hostiliter destruxerunt. Propter quod si vellet ipsum suscipere ac in libertate tenere, se et suos paratus esset sibi subdere, ac cum consanguineis fratribusque et amicis suis, rebusque et bonis omnibus in Hungariam intrare, et ipsum in fide catholica imitari. Quo audito rex repletus est gaudio magno valde; tum pro eo, quod talis princeps sibi quasi par, hactenus eius se volebat subiicere ditioni, tum quia poterat ad effectum ducere praeconcepta, lucrifaciendo tot animas Jesu Christo. Et sic licentiatis nunciis non minimis muneribus honoratis, ad dictum Kuthen regem transmisit suos nuncios et Fratres Praedicatores cum eisdem, mandans, quod ipsum et suos paratus esset recipere, et petita concedere, iuxta suae beneplacitum voluntatis. Quid plura? Nunciis hinc inde saepius destinatis praedictus Kuthen cum suis iter arripuit in Hungariam veniendi. Rex vero in potentatu mirabili usque ad confinium terrae suae obuius sibi fuit, tot eximia, et tot honores sibi et suis faciens, quod ab incolis terrae illius, a tempore cuius non exstabat memoria, factum non fuerat

---

<sup>1)</sup> Mendum librarii pro MCCIIXL. seu ducent. duo de quadragesimo 1238. Vide Katona Hist. V. 853. Infra cap. XIV. scribit auctor: „Plus quam per annum eos (Tartaros anno 1241.) Kuthen cum suis praeuenerat.“



neque visum. Tandem cum propter multitudinem in loco commode morari non possent, pro eo quod erat gens dura et aspera subdi nescia; ne offenderent Hungaros, vel offenderentur ab ipsis, dabat eis de principibus suis unum, qui eos conduceret, et expensas omnibus, qui praeter ipsorum familias, circa quadraginta millia dicebantur, faceret exhiberi, usque ad mediculum terrae suae.

## III.

*Sequitur de odiis inter regem et Hungaros; et primo de causa odii prima.*

Cum autem rex Comanorum cum suis nobilibus et rusticis coepit Hungariam peragrare, quia iumentorum habebant armenta infinita, in ortis virgultis vineis et aliis Hungaros grauitur offendebant. Et quod horribilius erat eis, cum essent siluestres homines, virgines pauperum abhominabiliter opprimebant; et thorum potentium, quando commode fieri poterat maculabant: licet mulieres ipsorum tamquam viles ab Hungaris prostrarentur. Et si in rebus vel in persona Comanum Hungarus offendebat, statim de ipso fiebat iustitiae complementum, sic quod alius similia facere non auderet. Si vero a Comano Hungarus laedebatur, illi de ipso iustitia non fiebat; et si quando instare volebat, pro verbis verbera reportabat. Et sic inter populares et regem odium est generatum.

## IV.

*Secunda odii causa inter regem Belam et Hungaros.*

Licet digressionem faciam aliquam, tamen ut legentes intelligant, et audientes non ignorent destructionis Hungariae fundamentum, reuertar quantocius ad stilum inceptae materiae prosequendum. Bonae memoriae rege Andrea genitore istius Belae regis, mortis debitum persolvente: subito rex cum regni principibus et nobilibus venit



Albam regiam ciuitatem, et ibi, postquam per manus Strigoniensis archiepiscopi, prout moris est, regali diademate exstitit coronatus, quosdam de suis baronibus, qui patri adhaeserant contra eum, compulit exulare. Quosdam carcerali custodiae, quos habere potuit, mancipauit; quemdam de maioribus Dionysium palatinum privari fecit lumine oculorum. Quaedam autem statuta ibidem faciens iussit promulgari, ut terra malis hominibus, qui habundabant plurimum, expurgaretur. Baronum quoque praesumptuosam audaciam reprimendo praecepit, ut exceptis suis principibus, archiepiscopis et episcopis, si aliquis baronum sedere in sede aliqua in sua praesentia auderet, debita poena plecteretur: comburi faciens ibidem ipsorum sedes, quos potuit inuenire. Quod cognati exulum, et captiuorum amici sibi etiam timentes in posterum, pro malo non modico habuerunt, Exinde inter eos scandalum est ortum.

## V.

*Tertia odii causa ex hinc secuta est.*

Praeterea nobiles cum cordis amaritudine referebant, quod cum ipsi vel progenitores eorum contra Ruthenos Comanos Polonos et alios, in expeditionem a regibus saepius essent destinati, et aliqui essent ibidem gladio interenti, aliqui fame mortui, aliqui carceribus mancipati, et aliqui diuersis tormentis afflicti; reges, qui pro tempore fuerant, reuertentibus vel captiuorum propinquis recompensationem congruam faciebant, villas possessiones et praedia concedendo eis in perpetuum possidenda. Hic autem non solum eis non addidit aliquid, sed concessa ad ius et proprietatem sui ipsius sine diminutione aliqua reuocauit. Hic est dolor, hic est gladius, qui transfixit animas Hungarorum. Nam qui erant diuites et potentes et secum habebant multitudinem effrenatam, vix se solos poterant sustentare



## VI.

*Quarta odii causa inter regem Belam et Hungaros.*

Item saepius conquerebantur, quod rex contra regni consuetudinem, in depressionem eorum prout voluit ordinavit: quod qualiscunque eminentiae fuerint nobiles, in eius curia negotium mouere aut ei ore tenus loqui nequirent, nisi supplicationes cancellariis porrigerent, et exinde finem negotii expectarent. Propter quod plerique, pro minimo tantum in curia tenebantur, quod equos et res alias pro expensis expendere cogentur; et multotiens non expeditis recedebant. Nam cancellarii, ut dicebant, pro eo quod nisi per ipsos requisitos regi loqui poterant, deprimebant et subleuabant aliquos ut volebant. Propter quod illos suos reges esse, generaliter et publice fatebantur, et regem alium non habere se dicebant.

## VII.

*Quinta odii causa ex hinc orta est.*

Hoc aliud referebant quod praeter vel contra eorum consilium, et ad depressionem et confusionem eorum Comanos adduxerat. Quod patebat ex eo, quia quando ipsi vocati vel non vocati ad curiam accedebant, copiam videndi regem non habebant nisi a remotis, et illi solum per interpretem loquendi habebant facultatem. Et si minimus Comanus accederet, statim ut patebat aditus intrabat; et Comanos tam in sessionibus et in consiliis, et in omnibus Hungaris praeferebat. Propter quod tanta indignatio erat eis quod vix poterant tolerare. Et licet non exprimerent, ad ipsum tamen bonum cor et animum non habebant, nec pro ipso pacis consilia cogitabant.



## VIII.

*Responsio ad primam odii causam.*

Fautores autem et fauentes regi iustificare ipsum in omnibus nitebantur, sic ad praemissorum singula respondententes.

Comanis introductis, cum per fide dignos ad regis notitiam peruenisset quod per Comanos Hungari grauarentur: principibus baronibus comitibus et Comanis omnibus circa monasterium de Kew<sup>1</sup> circa Ticiam conuocatis deliberatione diligenti communi consilio sancitum est, quod nobiles Comanorum cum suis famulis diuisim per singulas Hungariae prouincias mitterentur, et moram quilibet in prouincia traheret sibi assignata, et ita cum multi simul non essent, grauamen inferre Hungaris non valerent. Et si Comanus Hungarum, vel Hungarus Comanum offenderet, comites quibus hoc sub poena gratiae regis iniunctum fuerat, iusticiam facerent aequivalentem; licet Comanis hoc quod separari deberent plurimum displiceret. Et sic ipsi postea sine offensione cuiusquam suis tentoriis filtreis iumentis pecoribus terram vacuam Hungariae peragrabant. Et cum essent multi et pauperes inter eos, habebant Hungari de eis quasi pro nihilo seruiantes; et sic status eorum magis ad commodum quam incommodum erat eis. Cessare igitur debebat in hoc maliuolentia populorum.

## IX.

*Responsio ad secundam odii causam.*

Si rex mortuo genitore suscipiens gubernacula regni sui, quosdam de maioribus, fecit quaestionibus subici et tormentis, sanae mentis non debet aliquis admirari. Nam iidem inter ipsum regem et patrem eius saepius seditio-nem et scandalum procurauerunt, ita quod hinc inde sae-



pius militia congregata dimicare ad inuicem voluerunt, nisi per tenentes medium inter eos essent pacis foedera reformata. Cum et ipse rex ad patris curiam accedebat, iidem in nullo sibi penitus deferebant; imò dehonestare ipsum verbis et factis in quantum poterant nitebantur. Quod celari non potest. Et contra vitam patris et filiorum nequiter conspirauerant, ut illis gladio interemtis facilius quilibet posset de Hungaria, quam sibi per partes diuiserant, portionem sibi debitam, sine conditione cuiuslibet obtinere. Et cum concepta nequirent effectui mancipare, aliud nequius cogitarunt. Duci Austriae literas cum certis pactis et conditionibus destinando, domino Frederico Romanorum imperatori coronam regni et Hungariam dare promittebant. Sed nuntius in via captus, regi fuit cum literis praesentatus. Unde conseruando ipsos ad vitam, misericordia quae superexaltat iudicium usus est contra eos. Si vero statuit, quod terra malis hominibus purgaretur, quam iniquitatem continet hoc statutum? Si sedes baronum cremari fecerit, quae iniquitas fuit ista? numquid debent domini subditis esse pares? Igitur non erant iusti Hungari in hac parte.

## X.

*Responsio ad tertiam odii causam.*

De tertia causa odii regem taliter excusabant. Est omnibus non ignotum, quod LXX duos habet Hungaria comitatus, hos reges Hungariae bene meritis conferebant sine iniuria possidentis. Ex his comitatibus habebant delicias diuitias et honores, potentiam altitudinem et munimen. Sed per prodigalitatem quorundam progenitorum suorum iura comitatum erant adeo diminuta, ut meritis et demeritis<sup>1)</sup> personarum non discussis, eisdem possessiones villas et praedia ad comitatus pertinentia in perpetuum contule-

---

<sup>1)</sup> immeritis. Edit. Brun.



rant; ex quo viros comites non habebant, et cum incedebant, simplices milites propter diminutionem comitatuuum putabantur. Qui autem potentiores erant, sicut thauernicorum<sup>1)</sup> qui et camerarius dicitur — ac dapiferorum pincerarum — nec non agazonum magistri, et ceteri, qui habebant in curia dignitates, exinde in tantum incrassati erant, quod reges pro nihilo reputarent. Hic autem cupiens reintegrare coronam, quae pene paruae potentiae facta erat, licet plurimis displiceret, male tamen alienata studuit reuocare ad ius et proprietatem comitatuuum tam a sibi contrariis quam a suis. Licet non faciendo iniuriam alicui iure suo in omnibus uteretur, tamen de regalibus bonis bene ac fideliter seruiantibus remunerationem congruam faciebat. Vnde quia usus fuit iure suo cessare debebat maliuolentia Hungarorum.

## XI.

### *Responsio ad quartam odii causam.*

Cum esset propter diuersitates multiplices et ritus diuersos pene totum regnum Hungariae deformatum, et rex ad reformationem eius totis viribus anhelaret, et implicitus rebus arduis nequiret singulis audientiam beniuiolam exhibere: duxit deliberatione prouida statuendum, quod negotia suorum regnicolarum deberent, ad instar Romanae curiae, per petitiones in sua curia expediri, suis cancellariis ita mandans, quod per se leuia et simplicia negotia expedirent quantocius possent, ad suum auditorium ardua et grauia perferentes. Hoc ideo faciebat, ut negotia finem debitum velociter sortirentur. Sed maliuoli quod ad leuamen oppressorum fuerat adinuentum, ad iniquum compendium retorquentes, nodum in stupa, et pilum in ovo inuenire mendaciter satagebant.

---

1) thauarnicorum E. Brunen.



## XII.

*Responsio ad quintam odii causam.*

Illud asserebant penitus falsum, quod rex introduxisset Comanos ad depressionem et odium Hungarorum; sed solum propter hoc, ut cultus diuini nominis in Hungaria suis temporibus augeretur, et sic quando ipsum aduersus inimicos coronae guerram habere contingeret, contra eos cum eis fortius et durius dimicaret. Si autem Comanos plus quam Hungaros honorabat, hoc ipsi aegre ferre non poterant nec debebant. Nam decebat regiam dignitatem introductos honorare, maxime cum hoc eis promiserit iuramento, et ipsum in fide sua coeperint imitari; et cum essent eis Hungari odiosi, solum regem habebant in Hungaria protectorem. Nam Kuthen rex Comanorum per regem, et quamplures alii per maiores et nobiles regni fuerant baptizati: ita quod iam cum Hungaris connubia contrahebant. Et si rex eis fauorabilis non fuisset, ipsi in Hungaria non stetissent. Auditis autem hinc inde propositis, scriptor finem huius negotii non imponit, lector si valeat causam terminet iustitia mediante.

## XIII.

*Interloquium ad continuandam narrationem.*

His interpositionibus expeditis scriptor stilum dirigit ad tractandum incoeptae materiae prosecutionem. Et si qui ipsum lingua mordere voluerint toxicata, dicentes quod interpositiones huiusmodi nil ad rem pertinerent, et bene poterat esse sine illis; non est verum. Quia haec discordia potissimus fomes fuit, quare Hungaria sic velociter est destructa.



## XIV.

*De vulgari Hungarorum opinione.*

Anno igitur Domini evoluto<sup>1)</sup> Hungaria ad regem in maliuolentia existente, circa Natiuitatem Domini fama fuit quod confinia Hungariae Rusciae contigua Tartari deuastabant. Et quia rex de hoc per suos nuncios certus erat, ad custodiendam portam Rusciae, quae montana dicitur, per quam in Hungariam patebat aditus, misit maiorem suum comitem cum exercitu palatinum, et fecit per totam Hungariam proclamari: quod tam nobiles, quam qui seruietes regis dicuntur, quam castrenses et pertinentes ad castra superius nominata se ad exercitum praepararent, ut essent quando rex mitteret praeparati. Cum autem hoc per totam Hungariam clamaretur, Hungari prae nimio gaudio non credebant, asserentes quod de Tartaris multotiens insonuerat talis rumor, et sic semper viderant illum esse nullum; unde dicebant: multa renascentur quae iam cecidere. Alii asserebant quod quidam praelati ecclesiarum rumores huiusmodi procurabant pro eo, quod tunc temporis Romam non irent ad concilium vocati a Romano pontifice celebrandum; et talis opinio erat eis. Fuit autem omnibus manifestum, quod Vgolinus Colocensis archiepiscopus pro se ac quibusdam suffraganeis suis Venetias miserat pro galeis; et fuerunt per regem contra voluntatem eorum ab itinere reuocati.

Alii vero quamplurimi fatebantur ut haberent de rege materiam obloquendi, quod Comani societatem contraxerunt cum Ruthenis, ut simul contra Hungaros, a quibus multa mala perceperant et saepius destructi fuerant dimicerent. Et propter hoc plus quam per annum eos praedictus Kuthen cum suis praeuenerat, ut conditiones terrae addisceret et linguam faceret sibi notam; et cum introitum illorum perciperet, pugnam inciperet contra regem, et sic

---

<sup>1)</sup> scilicet 1240.



facilius illi portam poterint obtinere, et ad ipsius Kuthen auxilium festinare, et ita citius aliquam partem Hungariae deuastare; — gaudendo et mordendo regem pro eo quod Comanos introduxerat ut superius est expressum. Et in hac opinione quamplurimi concordabant.

## XV.

*De consilio regis contra Tartaros.*

Cum ergo postmodum versus quadagesimam pergeret iter suum,<sup>1)</sup> magis ac magis fama huiusmodi crebrescente, rex ad quandam villam quae Buda dicitur, super ripa Danubii positam, in qua consueuerat quadagesimam celebrare, pro eo quod dicebatur locus communior, properauit. Et archiepiscopis episcopis et aliis regni maioribus conuocatis, deliberabat assidue, qualiter posset de tanto negotio prouidere, monens et hortans eos saepius quod quilibet haberet suos stipendiarios milites praeparatos. Kuthen vero qui cum uxore filiis filiabus et quibusdam suis maioribus tamquam suspectus et sceleris conscius a rege fuerant conuocati, communi deliberato consilio curialiter, ne possent manus ipsorum effugere, custodiae fuerunt mancipati.

## XVI.

*Quid fecit rex Bela cum per palatinum de introitu Tartarorum certificatus fuit.*

Circa vero medium quadagesimae venit ad regem cursitando unus de militibus palatini ex parte ipsius referens, quod iam ad portam Rusciae peruenerant, et indagine destruebant, et non credebant quod palatinus posset eis resistere, nisi rex mitteret ei auxilium festinum. Rex adhuc incredulus secum armatos milites non habebat. Et

---

<sup>1)</sup> supple: annus.



dum in anxietate huiusmodi permaneret, quarto die postea venit idem solus qui nocte dieque cursitauerat Palatinus dicens: quod duodecimo die intrante Martio in porta congressum habuerat cum eisdem, et suis pene omnibus sagittis et gladiis crudeliter trucidatis, cum paucis euaserat, et quae facta erant sibi venerat nuntiare. Sed licet rex de malis rumoribus non modicum obstuperet, licentiauit tamen archiepiscopos episcopos et alios suos comites et barones eis praecipiens firmiter et districte, ut quilibet aggregata sibi militia iuxta posse, redire ad ipsum et sine dilatione temporis festinaret, prout urgens necessitas et manifesta utilitas exigebat. Et praecepit magistro Stephano episcopo Waciensi, Orodienti et sancti Saluatoris Chanadiensi praepositis, quod ad reginam festinanter accederent, et ad confinium Austriae properarent, ibidem finem huius negotii exspectantes. Item per suas literas rogauit ducem Austriae, ut ad ipsum accederet festinanter. Et iussit Comanis omnibus quod venire ad ipsum aliquatenus non differrent. Ipse enim de Strigoniensi et Albensi ciuitatibus, quae ad unam tantum diaetam distabant, exercitu congregato confestim transiuit Danubium, et in magna et ditissima teutonica villa quae Pesth dicitur, Budae opposita ex altera parte Danubii moram traxit, suos ibidem cum exercitu exspectans principes comites et barones.

## XVII.

*Alia interlocutio.*

Pater et domine aduertite Reuerende! et quia cum multa simul occurrerint nequeunt dici simul; oportet igitur ut uno dimisso negotio in dicendo aliud assumatur.



## XVIII.

*Sequitur rursus interlocutio.*

Notate itaque nomina dominorum Tartarorum, et qualiter intrauerunt in Hungariam et astuciam eorundem, quia non dimittetur' indiscussus articulus, quin cuilibet sensus debitus imponatur.

## XIX.

*Nomina regum Tartarorum in Hungariam intrantium.*

Rex regum et dominus Tartarorum qui Hungariam intrauerunt Bathus suo nomine vocabatur. Rector erat sub ipso in militia potentior Bochetor appellatus. Cadan in probitate melior dicebatur. Coacton Feycan Peta Hermes Cheb Ocadar maiores reges inter Tartaros censebantur; quamquam essent inter eos alii reges quamplurimi, principes et potentes, qui cum quinquies centenis millibus armatorum regnum Hungariae inuaserunt.

## XX.

*Quomodo Tartari Rusciam et Comaniam destruxerunt.*

Hi autem quando Rusciam et Comaniam totaliter et unanimiter destruxerunt, retrocedentes ad quatuor vel quinque diaetas intacta confinia Hungariae continua dimiserunt, ut cum reuerterentur tam pro equis quam pro se victualia inuenirent, et rumores ad Hungaros minime peruenirent. Cum quidem victualia dictorum regnorum consumsissent, et Hungariam proponerent occupare, Bathus maior dominus dimissa tota familia solus cum suis militibus et non multis ad dictam portam Rusciae quae prior erat ad locum, in quo rex congregabat exercitum recto tramite properauit, et expugnato exercitu comitis palatini eandem portam obtinuit et intrauit. Peta rex per Poloniam



dirigens gressus suos, uno ab ipso de ducibus Poloniae interfecto et destructa Vratislauia ciuitate nobilissima, et strage facta mirabili, ac in terram ducis Morauiae, alii ducibus praestare sibi auxilium nequeuntibus, simili crudelitate peruadens, ad portam Hungariae festinauit. Rex Cadan inter Rusciam et Comaniam per siluas trium dierum habens iter siue viam, peruenit ad diuitem Rudanam, inter magnos montes positam Teutonicorum villam, regis argentifodinam, in qua morabatur innumera populi multitudo. Sed cum essent homines bellicosi, et armorum penuriam non haberent, audito ipsorum aduentu extra villam per siluas et montes eis obuiam exierunt. Cadan vero respiciens multitudinem armatorum terga dedit, fingens fugam ante eos. Tunc populi cum victoria reuertentes armis depositis inebriari vino prout Teutonicorum furia exigit inceperunt. Sed ipsi Tartari subito venientes cum fossata muros et munitiones aliquas non haberent, villam ex multis partibus intrauerunt. Et licet hinc inde fieret magna strages, videns populus quod eis resistere non valebat, se ad fidem eorum totaliter reddiderunt. Sed Cadan sub sua protectione villa recepta Aristaldum comitem villae, cum electis sexcentis armatis Teutonicis suis militibus associauit sibi, venire cum eis incipiens citra siluas. Bochetor autem cum aliis regibus fluuium qui Serech dicitur transeuntes peruenerunt ad terram episcopi Comanorum, et expugnatis hominibus, qui ad pugnam convenerant, coeperunt terram totaliter occupare. Reuertar igitur ad regem Hungariae, qui erat in dicta villa Pesth, ut processus eius plenius describatur.

## XXI.

*Qualiter Tartari processerunt, postquam portam habuerunt.*

Postquam autem maior dominus Bathus portam habuit, coepit villas comburere et suus gladius non parcebat sexui vel aetati; et ad regem quantum poterat festinabat.



Et cum prope ad Pesth ad mediam diaetam, ante Dominicam de passione Domini die Veneris peruenisset, statim quosdam usque ad villam misit comburendo interficiendo, prout eis innata malitia ministrabat. Sequenti die misit alios vel eosdem, qui peragebant similia vel peiora. Sed rex exire ad eos aliquos ad faciendum congressum nullatenus dimittebat. Et illi dum credebantur ire reuertebantur, et dum putarentur reuerti iterum ibant; diem in ludo totaliter expedentes. Cumque die Dominico facerent illud idem, Vgolinus Colocensis archiepiscopus hoc graue ferens quamplurimum, quod quidem quasi praedones tot bonos homines confundebant; et grauius, quod rex sibi et suis pusillanimus videbatur: propter quod contra mandatum regis cum paucis de suis foras exiens congressum habere voluit cum eisdem. Sed illi terga vertentes paulatim retrocedere inceperunt. Hoc archiepiscopus intuens incepit eos equorum insequi pleno cursu.

Tandem terra paludosa reperta illi velocius transierunt paludem. Hoc archiepiscopus non aduertens, cum proximus illis esset festinus intrauit, et cum esset cum suis armorum pondere pressus transire vel retrocedere nequierunt. Sed illi ad eos velocius reuertentes circumdederunt paludem, et in ipsos sagittas velut pluuiam emitentes eosdem ibidem totaliter necauerunt. Cum tribus autem vel quatuor euadens archiepiscopus sic confusus remeauit ad villam, non modicam iram habens tam de suis perditis, quam de eo, quod rex non fecit aliquem in sui subsidium properare.

## XXII.

*Quomoda fuit destructa ciuitas Waciensis.*

In Dominica de passione pars exercitus Bathi regis regum accessit ad Waciam ciuitatem, positam super ripam Danubii, ad mediam diaetam prope ad villam Pesth, in qua rex cum exercitu morabatur. Et capta ciuitate peni-



tus et debellata, qui ad ecclesiam et palacia ecclesiae, quae erant quasi castrum munita, recursum habuerant, tam de ciuitate, quam de circumpositis villis innumera populi multitudo, eos viriliter expugnauerunt, et thesauro ecclesiae habito canonicos et alias personas, dominas et puellas, quas noluerunt interimere gladio, in igne totaliter cremauerunt. Et ita in Dominica de passione Wacienses passi sunt, ut cum domino Jesu Christo partem habere mererentur.

## XXIII.

*Quomodo dux Austriae insultum fecit in Tartaros.*

Illud non est aliqualiter obmittendum, quod dux Austriae rogatus a rege venerat, sed cum paucis, tamquam facti nescius et inermis. Et cum aliqui ex Tartaris ad villam Pesth more solito aduenissent, armis et equis sibi assumtis obuius eis fuit. Et cum simul congregari debuissent, illi terga dantes prout assueuerunt abibant. Sed dux submisso equo subdens calcaria quemdam attingit, percutiens eum cum lancea taliter, quod lanceae hasta fracta de equo ipsum prostrauit ad terram. Alteri vero ipsorum Canesio, id est: maiori, volenti prostrato succurrere armato more, iuxta sellam confestim arrepto mucrone uno ictu brachium illius amputauit. Qui statim de sella corruens exspirauit. Aliis in fugam conuersis prostratum ceperunt; ipsum vincum cum equis ad exercitum adducentes. Propter hoc Hungari assumpta materia exprobrare regem, ac exaltare ipsum ducem unanimiter coeperunt.

## XXIV.

*Quomodo Kuthen rex Comanorum extitit interfectus.*

Cumque publica fama esset, quod Kuthen, qui cum suis ut dictum est prope ad regem in custodia tenebatur, esset tanti sceleris non immunis, et qui venerant Comani



non Tartari crederentur; clamabat totus populus contra eum: „Moriatur moriatur, ipse est qui destructionem Hungariae procurauit.“ Et pro ipso regi saepius exprobrantes dicebant: „Pugnet rex noster, qui Comanos in nostrum odium introduxit.“ Alii clamabant: „Pugnet rex cum illis, quibus nostra praedia sunt collata.“ Rex exprobrationibus frequenter auditis misit hominem ad Kuthen, ut ad ipsum accedere non differret. Sed Kuthen, qui crebro acclamationes populi audiebat, timens poenam, licet esset immunis a culpa, mandauit regi, quod ad ipsum nequaquam accederet, nisi ei talem hominem destinaret, cui esset potentia ipsum ad eum ducere, ac ipsum eruere de manibus populorum. Hoc regi nuncio referente clamor factus est magnus in populo: „Moriatur moriatur!“ Ac sic subito Hungari et Teutonici armati intrantes palacium in quo erat, violenter ad ipsum accedere voluerunt. Kuthen vero cum suis arreptis arcubus et sagittis ad se ipsos accedere non sinebant. Sed populorum multitudine accedente ceperunt eosdem, et cunctis in instanti capitibus amputatis, ea in populos per fenestras de palacio proiecerunt. Quidam autem volunt hoc facinus duci Austriae imputare. Ab aliis vero de mandato regis dicitur esse factum. Tamen postquam pro certo est compertum, quod Kuthen huius nequitiae est expers, asserunt hoc verisimile non esse, quod rex qui ipsum de sacro fonte leuauerat, et securitatem sibi dederat praestito iuramento, tantum facinus perpetrasset. Nolo quidem ego qualiter hoc actum est diffinire, diffiniat ille qui nouit, et poenam vel gratiam unicuique iuxta opera sua reddet.

## XXV.

*Quid fecerunt Comani audita morte regis ipsorum, et qualiter rex Bela contra Tartaros processit.*

Tartaris itaque diu noctuque in circuitu villas comburentibus instabat Colocensis archiepiscopus apud regem



ut exiret cum exercitu contra eos. Igitur duce Austriae recedente, maxime cum maior regni exercitus aduenisset, rex cum exercitu motus, exiens incepit paulatim procedere contra eos. Cumque Comani vocati contra Tartaros, ubicunque essent in regis subsidium unanimiter aduenirent; audita morte ipsorum domini Kutheni, turbati sunt grauiter et commoti, quid deberent agere ignorantes. Cum autem rumor de morte eiusdem increbuisset, Hungari villani odiosi eis ubique contra eos insurgere coeperunt, spoliando et interficiendo eosdem sine aliqua pietate. Qui cum taliter inspicerent se perimi, insimul congregati, non solum se defendere inceperunt, sed villas comburere, et rusticos viriliter expugnare.

## XXVI.

*Quomodo euasit Chanadiensis episcopus manus Comanorum.*

Sed cum Bulzo Chanadiensis episcopus et Nicolaus filius Bore cum nobilibus multis uxores filios filias et familias ad partes superiores conducerent, ut postmodum ad regis exercitum festinantes accederent; obuantes Comanos, inceperunt pugnam durissimam contra eos, et eis resistere nequeuntibus, sunt quasi omnes gladio interempti. Episcopus tamen cum paucis in curru iacens infirmus, dum pugna fieret est longius asportatus. Comani vero ut Tartari terram postmodum destruentes, et conuenientes in unum ex ista parte Danubium transierunt, et sic destruendo inceperunt ad Marchiam properare. Illi autem de Marchia hoc scientes conuenerunt in unum; eis obuiam exeuntes congressum cum eis in finibus Marchiae habuerunt. Et superati ab eis praeueniebant unus alium fugiendo. Et sic Comani coeperunt Marchiam nequiter expugnare, mortem sui domini crudeliter vindicantes. Nam cum interficiebant Hungaros sic dicebant: „Hunc ictum sufferas pro Kutheno.“ Et destructis melioribus villis, scilicet Frankavilla senatoria, Sancti Martini, et aliis, et recepta multa pecunia equis et pecoribus, destruendo terram in Bulgariam transierunt.



## XXVII.

*Quomodo Waradiensis episcopus per Tartaros exitit deceptus.*

Benedictus quidem Waradiensis episcopus pro se de mandato regis magno exercitu congregato, volens in ipsius subsidium accedere, intellexit quod Tartari ciuitatem Agriensem destruxerant, hominibus de ciuitate, et aliorum qui ad defensionem ipsius conuenerant, aliis combustis, aliis gladio interemtis, spolia thesaurum episcopi et ecclesiae exinde asportabant. Vnde sumens audaciam pro eo quod paucis diebus elapsis congressum cum patris eorum habuerat, et praeualuerat contra eos; incepit post ipsos dimisso exercitu festinare, ut si posset fragmenta colligere ne perirent. Hoc Tartari praescientes finxerunt se ire longius, et steterunt. Et cum haberent equos plurimos et ipsi pauci existerent, figmenta talia ordinauerunt. Fecerunt autem laruas et monstra quamplurima; ea super equos vacuos tamquam si essent milites ordinando. Et equos illos sub quodam monticulo, paucis cum eis relictis seruiuentibus dimiserunt, mandantes eisdem, ut cum ipsi cum Hungaris ingrederentur ad pugnam, ipsi exirent acie ordinata et paulatim procederent versus eos. Et ipsi in planitie Hungaros exspectabant. Quibus aduenientibus Boch comes et quidam alii qui de melioribus militibus Hungariae putabantur, qui cum episcopo venerant, ipsis visis, habenis equorum dimissis congressum habuerunt durissimum cum eisdem. Et cum essent Tartari numero pauciores, terga eis dare fingentes versus monticulum retrocedere inceperunt. Et dum ipsi cum laruis exierunt sub monte, et ut condictum erat acie ordinata; Hungari hoc videntes, et opinantes eis insidias factas terga dederunt, et fugam velociter inierunt. Tartari autem mox in illos conuersi illos sequebantur, eosdem prosternendo et interficiendo, prout nequius crudelitates poterant exercere. Episcopus autem cum paucis reuersus est Waradinum, et aliquantula mora facta collectis aliquibus militibus transiuit Danubium et euasit.



## XXVIII

*De infelici bello regis Belae cum Tartaris commisso.*

Cumque rex ut dictum est egressus de villa Pesth progrediretur contra Tartaros cum multitudine armatorum, illi de combustionibus villarum reuersi, et subito insimul congregati per viam per quam venerant retro ibant. Et sicut isti paulatim persequebantur eosdem, sic et illi tantum ante ipsos se fugere simulabant. Et cum ad quandam aquam quae Sayo dicitur, et non multum longe de Agriensi ciuitate fluit et intrat Ticiam, peruenissent, post aquae transitum qui fiebat per pontem, castra metati sunt et steterunt, ponentes in ponte custodes, qui noctis vigiliis custodirent. Tartari quidem post transitum eiusdem paludis circa aquam se in planitie posuerunt. Et cum aqua magna existeret et lutosa, non erat eis credulitas, quod sine ponte transitus alicui esse posset. Rex suos interim hortabatur, ut ad pugnam viriliter se haberent, vexilla non pauca manu propria maioribus assignando. Hungari autem habebant haec omnia in derisum, de multitudine confidentes; ad pugnam tamen propter rationes superioris assignatas, cor et animum non habebant. Volebant quidem quod rex perderet, ut ipsi chariores postmodum haberentur; credentes plagam huiusmodi particularem quibusdam et non omnibus generalem, sicut audierant quandoque in Hungaria esse factum. Nam intrabant Comani subito, et aliquam partem terrae antequam conuenirent Hungari destruebant festinantes postmodum ad recessum; et interdum Hungari idem de Comania faciebant. Sed non sic, quia haec ultima primis minime responderunt. Tamen mille milites omni nocte ad custodiam exercitus ponebantur. Quid plura? Tartari vadum inuenientes longe ab exercitu una nocte unanimiter traspserunt, et in aurora totum regis exercitum circumdantes, sagittas emittere in exercitum sicut grandines imceperunt. Hungari vero quia fue-



rant taliter occupati et illorum praeuerti astutia, cum armati equos suos ascendebant, nequibant milites suos dominos, et domini suos milites inuenire. Et cum ad pugnam accederent, tepide ac remisse accedebant. Tanta enim erat crebrosa emissio sagittarum, quod fere umbram pugnantibus faciebant; et sagittae sicut locustae et bruchus congregatim vadunt, per aera volabant. Et sic sagittarum ictus minime sufferre valentes, infra circulum exercitus retro ibant. Rex vero acies non poterat ordinare, et mixtim ex quacunque parte ibant Hungari ad pugnam, illi eis cum sagittis obuiam venientes ipsos intra exercitum retrocedere faciebant, ita, quod ipsi ex calore nimio et angustia maxima ad tantam lassitudinem venerant, quod rex et Colocensis archiepiscopus qui anxii formidabant, nec minis neque adulationibus ac monitionibus iam ad pugnam poterant aliquos destinare, ab aurora usque ad meridiem in tali angustia existentes.

Tandem cum iam deficere viderentur, dux Colomanus frater regis cum suis, quos in tanta pressura habere potuit, conflictum durissimum ex una parte exercitus habuit cum eisdem, pugnae per magnum spatium diei insistendo; et dum crederet se per residuam exercitus partem adiuuari, deceptus est. Nam cum ex altera parte ad pugnam plurimi ire crederentur, ad pugnam non ibant, sed Tartaris ultro parum secedentibus, illis per sui medium viam absque aliquali sagittarum emissionem dabant. Et quanto plures transibant, tanto latior via per Tartaros illis dabatur; et in tanto conflictu non erat rumor vel verbum aliquod inter eos. Et cum rex illos ad conflictum ire crederet, ipsi exhibant ad fugam potius quam ad pugnam. Tartari vero exspectantes regis exercitum nullatenus se mouebant. Et cum iam de multis partibus exercitui regis exitus pateret, rex ab illis incognitus cum paucis viam habuit versus siluam. Dux autem Colomanus direxit per aliam partem exercitus suum iter die noctuque, in equis plurimis usque ad dictam Pesth; non per viam publicam,



per quam hungarica natio lubricabat, sed per deuium, laxatis equorum habenis ad portam Danubii festinabat. Et quamquam a burgensibus rogaretur ut morulam faceret quousque saltem pararentur naues ad transitum dominarum uxorū illorum; teneri tamen non potuit, nec ad id induci, dicebat enim, quod de se quilibet cogitaret. Aduentum enim persequentium metuens, solus confestim transiuit, et fugit in Simigium ad quemdam locum, qui dicitur Segusd. Et licet burgenses de Pesth cum familia ad transitum festinarent, prius tamen superuenerunt Tartari, et qui non fuerunt in Danubio suffocati de burgensibus, exstiterunt gladio interemti.

## XXIX.

*De fuga episcopi Quinqueecclesiensis.*

Intuens autem Bartholomeus episcopus Quinqueecclesiensis destructionem exercitus, et aduertens quod quidam de Tartaris in exercitum irruentes castra plurima comburerent; similiter non per viam publicam, sed per campum cum multis militibus fugam iniit. Et cum pauci de Tartaris equos post eos mitterent pleno cursu; Ladislaus comes, qui ad regem multis vexillis extensis cum sua militia ueniebat, nil de gestis ipsis praesciens superuenit. Episcopus hungarica vexilla cognoscens ad comitem declinauit. Tartari uero multitudinem aduertentes abierunt retrorsum, et alios insequi curauerunt. Et sic ipse comes cum episcopo abeuntes ab ipsorum manibus euaserunt.

## XXX.

*De episcopis et aliis clericis in dicto bello interfectis.*

De fugientibus quoque per amplam viam versus Pesth, et in exercitu remanentibus facta est tanta strages, totque millia hominum sunt interemta, quod aestimatio fieri non ualet, nec referentibus fides propter immensam cladem le-



uiter adhibetur. Maiores tamen de clericis cecidere: Mathias Strigoniensis archiepiscopus, quem rex tum propter fidelitatem, tum quia insimul nutriti erant magis diligebat, et eius consiliis magna sub confidentia in rebus arduis utebatur. Vgolinus Colocensis archiepiscopus nobilissima ortus prosapia, magna et ardua mundi negotia obmissis minimis disponens. Hic erat, sub cuius fiducia nobiles Hungariae respirabant; hic erat, sub cuius fiducia maiores et mediocres humiles se reddebant. Georgius episcopus Jauriensis, qui et nobilis fuit moribus, et peritus scientia literarum. Reynoldus Ultrasiluanus episcopus, et ecclesiae Nitriensis episcopus, qui fuerat laudabilis vitae, et morum honestate praeclarus. Nicolaus Scibiniensis praepositus regis vicecancellarius, nobilibus natalibus ortus, qui unum de maioribus antequam se necis necessitati subiiceret, cruentato gladio iugulauit. Eradius archidiaconus Bachiensis. Magister Albertus Strigoniensis archidiaconus, qui circa fluentia iuris praelatus alios meruit edocere. Ipsorum quoque corpora diris mucronibus taliter sunt mactata, quod post recessum eorum, quamquam multum exquisita fuerint, nequierunt ullatenus reperiri. De numero vero laicorum maiorum et minorum, qui suffocati fuerunt paludibus et aquis, igne concremati et gladio interemti, nulli mortalium possit fieri certitudo. Nam per campos et vias iacebant corpora multorum mortuorum, aliqua capite diminuta, aliqua frustatim diuisa; in villis et in ecclesiis ad quas recursum habuerant plurima concremata. Hoc exitium, haec perniciēs, et haec strages tenebat duorum dierum itinera occupata; totaque terra erat sanguine rubricata. Et existebant corpora super terra, sicut stant ad pascua per deserta greges pecorum ouium et porcorum; et sicut in lapidinis secti lapides ad structuras.

Habuit igitur aqua corpora mortalium suffocata; haec sunt a piscibus a vermibus ab auibus in aquis degentibus deuorata. Terra illorum corporum dominium est adeptā, quae occubuerunt venenatis lanceis, mucronibus et sagit-



tis; haec, sanguine cruentata coeli aues, et dentatae bestiae tam domesticae quam siluestres morsu usque ad ossa nequissime corroserunt. Ignis illa tenuit quae cremata sunt in ecclesiis et in villis. Interdum ignem ex crematione huiusmodi pingua exstinguebant. Haec consumi nequeunt modico temporis interuallo. Nam inueniuntur in locis plurimis usque ad tempora longiora ossa denigratis pellibus non consumtis inuoluta; pro eo quod quibusdam bestiis escae placidae non existunt, nisi aliter destruantur. Cum autem in dominium trium elementorum uniuersa corpora transiissent, videndum est quid quarto reliquerint elemento. Ad aerem igitur qui quartum dicitur elementum alia tria foetorem omnium corporum transmisserunt, et sic ex foetore corruptus est et infectus, quod homines qui per campos et vias et siluas ex vulneribus remanserant semiuiui, ex infectione aeris, qui forte viuere poterant, exspirauerunt. Et sic aer huius crudelis exitii non est expers. De auro igitur et de argento equis armis vestibus et rebus aliis tot hominum, qui occubuerunt tam in proelio quam in fuga quid dicetur? Equi cum sellis et frenis sine sessoribus per prata et nemora discurrebant, et ex strepitu erant facti adeo furibundi, quod insanire penitus videbantur. Et sic eos territos, cum nequirent proprios dominos reperire, oportebat aut mori gladio, aut subiicere se dominio exterorum. Quorum hinnitus haberi poterat pro gemitu atque fletu. Argentea quoque vasa et aurea sericae vestes et alia hominibus opportuna, per campos et siluas a fugientibus proiecta, ut velociori cursu manus insequentium euaderent, non habebant aliquos collectores. Tartari tantum interfectionibus hominum insistentes, de spoliis minime curare videbantur.



## XXXI.

*Quomodo Tartari habita victoria spolia diuiserunt, et invento regis sigillo fictitias literas scripserunt.*

Habita de tanto exercitu victoria et triumpho, captaque depraedatione huiusmodi cum tumultu et vestimentis mixtis sanguine, equis auro et argento effusa rubigine rubricatis, tamquam congeriebus lapidum et aceruis frugum insimul adunatis; ad diuisionem et ad partitionem eorum (ventum est.) Herus cum elegantioribus de Tartaris ex partitione huiusmodi subsecuta, reperto sigillo regis penes cancellarium, cuius caput a corpore diro mucrone demerant, iam confisi de terra, et timentes ne populi profligatione regis audita, manus per fugam effugerent eorundem, diligenter aduertite astutiam quam fecerunt.

Primo totam Hungariam ultra Danubium diuiserunt, et assignauerunt unicuique de maioribus Tartarorum regibus, qui adhuc Hungariam non intrauerant, partem suam, significando eis rumores, et quod festinarent, quia iam eis obstaculum nullum erat. Et fecerunt scribi per quosdam clericos Hungaros quos adhuc ad vitam seruauerant, maioribus omnibus et popularibus per totam Hungariam existentibus sub nomine regis multifaria fictitia literarum sub hac forma: „Canum feritatem et rabiem non timeatis, nec vestris de domibus vos mouere audeatis. Licet enim propter quamdam improuisionem tum castra tum tentoria reliquerimus, paulatim tamen Deo nobis propitio eadem recuperare intendimus, contra illos proelium virtuosum instaurantes. Vnde tantum orationi vacetis, ut misericors Deus aduersariorum nostrorum capita a nobis permittat malleari.“ Hae fuerunt literae per quosdam Hungaros qui iam eis adhaeserant destinatae, qui me ac totam Hungariam destruxerunt. Nam tantam illarum certitudini literarum fidem dedimus, quod licet omni die contrarium cerneretur, tamen quia in terra illico guerrarum turbatio superuenit, ob hoc



ad sciendum rumores, nuncios mittere nullatenus poteramus, contrariumque credere nequibamus. Et sic Hungaria occupata, viam non potuit habere fugiendi. Sed quia processum regis dimisimus indiscussum, reuertamur ad progressum suum, vel quod verius est ad egressum.

## XXXII.

*Quid fecit rex Bela post debellationem sui exercitus, et qualiter per ducem Austriae captus fuit pariter et spoliatus.*

Ipsa itaque rege de exercitu profugato die noctuque cum paucissimis versus confinia Poloniae habuit iter suum; et inde directo tramite ut reginam posset attingere, quae in confinio Austriae morabatur, quantum poterat properabat. Dux Austriae hoc audito iniqua in corde concipiens contra eum, sub nomine amicitiae obuius sibi fuit. Sed rex armis exutus, dum prandium pararetur, modico temporis interuallo somnii quietem capessebat iuxta aquam; utpote qui solo nutu Dei euaserat inter tot diras sagittas et gladios venenatos, et tam longo fuerat itinere fatigatus. Qui tandem excitatus a somno cum ducem vidit laetatus est valde. Dux autem regem inter alia consolatoria verba petiit ut Danubium transiret, ut ibidem securius quiescere et morari posset. Rex vero his auditis tamquam innocens nihil mali suspicatus dictis ducis acquieuit. Dicebat enim dux, se castrum ex altera parte habere, et ibidem regem melius honorare posse; cum tamen in animo non honorare, sed confundere illum haberet propositum. Et cum se rex Scillam vitare crederet incidit in Caribdim; et sicut piscis, volens vitare frixorium ne frigatur, ad assandum proiicit se ad prunas, credens malum effugere inuenit nequius. Nam dux Austriae astutia excogitata cum rege suum ad libitum potitus exstitit, ab eo quamdam pecuniae quantitatem, quam dicebat olim ab eo regem extorsisse repetiit. Quid plura? Rex manus eius euadere nequiuit, quousque partem eiusdem pecuniae in prompto, partem in vasis aureis



et argenteis illi persoluit; pro parte autem tres comitatus sui regni, illius terrae continguos illi obligauit. Et licet vasa aurea et argentea maioris fuerint aestimationis, tamen dux illa solum in duobus millibus marcarum, simul cum lapidibus pretiosis recepit. Dux autem illico castrorum illorum comitatus corporali possessione est adeptus, et illa ex propriis pecuniis, contra Tartaros fecit reparare. Si quaeratur quanta fuit pecunia, est ignotum: nam alii de septem, quidam de nouem ceteri de decem marcarum millibus referebant. Sed de veritate liquere non poterat, quia secreta contractus fecerant, et firmauerant propriis iuramentis. Quibus expeditis, ad reginam quae non multum distabat, quantum potuit festinauit, et una cum ipsa sine tractu morae Stephanum Waciensem episcopum ad imperialem et Romanam curiam pro subsidio destinauit; et interim circa Segesdinum cum illis quos aggregare potuit moram traxit.

## XXXIII.

*Quomodo dux Austriae spoliavit fugitiuos hungaros, et de insultu Theutonorum in Hungariam facta.*

Dux prospecto iam quod Hungari essent unanimiter in fuga, sibi multos milites aggregauit, eos contra Hungaros in Hungariam transmittendo. Et sic Tartari ex illa parte Danubii destruebant, et ex ista Theutonici depraedabantur, et villas prout poterant comburebant, ita quod ciuitatem Jauriensem intrantes castrum ceperunt, et illud moliti sunt per violentiam obtinere. Hungari vero de partibus illis conuenientes in unum, ad ciuitatem manu armata euntes, ciuitatem ceperunt, et omnes in castro Theutonicos cremauerunt. Dux nimio furore repletus, propter hoc candescens contra Hungaros fugientes a facie Tartarorum, quos in Austria collegerat, et quibus fidem promiserat; non contentus de eo quod regi fecerat, petiit ab eis pro castrorum et ciuitatum custodia quamdam pecuniae quantitatem. Et sic hac occasione inuenta, cum tam Theutonici quam Hun-



gari essent multum diuites in pecunia et rebus, eos usque ad extremam exinanitionem nequiter spoliavit. Et miseri Hungari deuorabantur ubique morsu amarissimo a saeuis bestiis dentatis, et postmodum nudi in aridam proiicebantur et evomebantur. Sed his expeditis referamus de regibus Tartarorum, qui postmodum Hungariam intrauerunt.

## XXXIV.

*Quomodo Tartari Waradiensem ciuitatem expugnauerunt, et quomodo amplius ad pontem Thomae et alias processerunt.*

Cadan rex, ut in alia parte dictum est Rudana expugnata, et capto Aristaldo comite, elegantiores sexcentos armatos Teutonicos elegit. qui sub iurisdictione dicti comitis exstiterunt. His praestantibus ducatum Tartaris, per siluas et nemora, rupes et praecipitia prope Waradinum ciuitatem subito aduenerunt. Et quia ciuitas multum erat in Hungaria nominata, undique illac nobiles, tam dominae quam mulieres populares innumerabiles conuenerant. Et licet episcopus cum quibusdam canonicis exinde recessisset, ego tamen cum remanentibus eram ibi. Et cum castrum ex una parte dirutum cerneretur, amplo muro illud fecimus reparari, ut si ciuitatem defendere non possemus, ad castrum refugium haberemus. Et cum uno dierum subito aduenissent, et esset in ciuitate sub quodam dubio mora mea, castrum intrare nolui, sed aufugi in siluam, in qua diu prout potui latitavi. Ipsi tamen subito ciuitatem capientes, et pro maiori parte comburentes, tandem nihil extra muros castris penitus dimiserunt, et receptis spoliis tam viros quam feminas minores et maiores interfecerunt in plateis domibus et campis. Quid plura? Non pepercerunt, sexui vel aetati. Quibus peractis subito exinde recesserunt, et omnia in recessu receperunt, et longe a castro se per quinque millia posuerunt, et ad castrum per multos dies nullatenus accesserunt; sicque illi de castro cogitabant, eos propter castris fortitudinem recessisse.



Nam magnis munitum erat fossatis, et turribus ligneis super muros, et multi loricati milites erant ibi; ita ut dum Tartari ad respiciendum interdum accederent, milites Hungari velociori cursu eos insequi procurabant. Et cum pluribus diebus ad castrum non accederent, et crederetur quod ex toto exinde recessissent; milites et alii qui in castro erant, de recessu eorum habentes fiduciam, castrum quamplurimi exierunt, et domos quae remanserant extra castrum coeperunt communiter habitare. Et sic in aurora eos Tartari, qui ubi essent scire non poterant inuadentes, magnam ipsorum partem, qui nequierunt ad castrum fugere necauerunt. Et castrum illico circumdantes, ex opposito ad murum nouum septem machinas posuerunt, et die noctuque cum eis emittere lapides, quousque nouus murus dirutus est ex toto, nullatenus cessauerunt. Et turribus dirutis atque muris congressum dederunt, et castro per violentiam occupato ceperunt milites et canonicos et alios, qui non fuerant in occupatione castri interemti. Dominae vero domicellae et puellae nobiles se in ecclesiam kathedralem recipere voluerunt.

Ipsi vero Tartari fecerunt arma a militibus sibi dari, et per tormenta durissima quidquid habuerunt, a canonicis extorserunt. Et quia kathedralem ecclesiam subito intrare nequierunt, igne apposito ecclesiam et dominas, et quidquid erat in ecclesia combusserunt. In aliis vero ecclesiis tot scelera de mulieribus patrabant quod tutius est subticere, ne homines ad nequissima instruantur. Nobiles ciues milites et canonici extra ciuitatem in campo fuerunt omnes sine aliqua pietate iugulati. Post haec sanctorum sepulcra totaliter euerterunt, et pedibus sceleratis reliquias calcauerunt, thuribula cruces et calices aureos et vasa aurea et alia dedita ad altaris ministeria, comminuerunt. Introducebant in ecclesias mixtim viros et mulieres, et post turpem illorum abusionem eosdem ibidem necabant. Postquam autem omnia euersa sunt, et foetor



intolerabilis procederet ex corporibus defunctorum, exinde recesserunt, et tantum locus solus remansit. Homines qui per siluas circumpositas latitabant, conuenerunt ibidem, ut aliqua comestibilia inuenirent. Et cum verterent lapides et corpora mortuorum Tartari subito sunt reuersi, et viuum de viuentibus, quos ibi reperiabant neminem dimiserunt. Et sic usque ad extremum fiebant quotidie nouae strages. Et cum plures interficere non haberent, ex toto abinde recesserunt. Nos vero qui in siluis inter indagines morabamur, de nocte fugam iniuimus versus Pontem Thomae magnam Teutonicorum villam super fluuium Crisii positam. Sed Teutonici nos transire per pontem nullatenus permiserunt, imo institerunt quamplurimi, ut una cum eisdem villam eorum bene munitam defendere deberemus; quod plurimum displicebat. Tamen ad quamdam diuertimus insulam quae contra Tartaros per homines de Agya et Waydam de Geroth, et de pluribus aliis circumiacentibus villis fortiter parabatur. Ego cum ultra prodere non aude-rem, coepi ad procuratoris et omnium loci eius instantiam, moram ibidem trahere cum eisdem. Nam nullus in praetactam insulam intrare poterat, nisi per quamdam viam artissimam et minutam; ita ut per milliare in illa via tres portae cum turribus factae essent, et praeter has erant ad milliare fortissimae indagines circumquaque. Et cum ita munitum locum aduerterem, placuit mihi et remansi. Sed consuetudo insulae illa erat, quod ingressum praebebat singulis, sed regressum omnibus denegabat. Et cum aliquibus diebus ibi cum mea familia essem, per exploratores nostros percepinus quod propius Tartari veniebant. Exiui secrete insulam ut viderem quomodo equos poteramus conseruare; et uno ductore conducto, et uno seruiente, quoniam quilibet nostrum tres equos habebat, de nocte versus Chanadinum ciuitatem super fluuium Morisii positam, quae distabat ab eo loco octo milliaria properauimus. Et cum per totam noctem iremus, quantum equi poterant nos portare, in aurora peruenimus Cha-



nadinum. Sed praecedenti die a Tartaris, qui per aliam partem intrauerant Hungariam captum fuerat et destructum, et partes illas totaliter occupauerant, ita quod fluium nequiuimus pertransire. Et cum equi lassii essent, et homines huc et illuc de partibus illis se absconderent, retrocedere nullo modo poteramus, et sic in quibusdam domiculis equis dimissis, in quibusdam foueis illo die nos oportuit latitare. Adueniente tandem nocte ad locum pristinum, non sine difficultate nimia coepimus in timore transire per medium Tartarorum, curuatoque supercilio cum pudore insulam reintrauimus. Et cum in tali periculo moraremur, seruiantes mei qui ad equos exterius vigilabant, et alii qui mecum erant, cum pecunia quam habebam et vestibus, de insula aufugerunt. Et in fuga inuenti per Tartaros sunt gladio interempti; me cum uno seruiante quasi nudo in insula permanente.

Post haec statim inualuere rumores quod dictum Pontem Thomae Teutonicorum villam in aurora Tartari occupauerunt, et quos tenere noluerant, horrenda crudelitas acerbitatis gladio dire iugulauit. Quo audito inhorruerunt pili carnis meae, coepit corpus tremere ac pauere, lingua miserabiliter balbutire, perspiciens, quod dirae mortis articulus, qui iam vitari non poterat imminabat. Trucidatores cordis oculis intuebar, caro sudorem mortis frigidissimum emittebat. Videbam et mortales mortem exspectantes assidue non posse manus ad arma extendere, erigere brachia, pedes ad defensionis loca mouere, oculis terram prospicere. Et quid plura? Homines conspiciebam ex timore nimio semiuiuos. Et cum essem in ecstasi positus, affuit mihi misericordia Jesu Christi, et tamquam unus de maioribus, ut melius muniremur, insulae populum conuocaui. Cuius rei occasione cum populo sum egressus insulam, et acceptis duobus pueris procuratoris et hospitis mei filiiis et unico seruiante qui mihi remanserat, longius ire simulans in silua inter indagine latitauit; puerorum patri renuntians, quod propter timorem nolebam insulam reintrare; et co-



gitans quod si mecum absconsos suos tenerem filios, ipse mihi necessaria transmitteret. Et cum summo diluculo victualia mitterentur, illico Tartari aduenerunt insulam circumdantes. Et cum darent intelligere quod vellent per aquam insulam expugnare; populus insulae deceptus ad protegendum illas partes flexus est. Tartari vero ex alia parte in portas praesidio nudatas irruentes, illas expugnarunt, et in insulam intrantes non inuenerunt aliquem de nostris qui sagittam emitteret, vel in equo vel pedibus obuius illis foret. Quae et qualia quot et quanta iniqua ibi et crudelia perpetraverunt, non solum visui essent terribilia, sed perhorrescerent homines audire. Et exinde spoliis asportatis, denudata mulierum et hominum corpora, quaedam frustatim diuisa, quaedam integra remanserunt. Et cum plurimi qui latitauerant, opinarentur eos post diem tertium recessisse, pro acquirendis victualibus recursum ad insulam habuerunt, et occupati a Tartaris, qui se ibi absconderant paucissimi euaserunt. Ego vero per siluas tamquam profugus omnium destitutus auxilio mendicabam; et cui magna donaueram vix mihi eleemosynam porrigebat. Ita quod necessitate famis et sitis me acrius perurgente de nocte compellebar intrare insulam, et corpora euertere mortuorum, ut sepultam farinam et carnes ad esum mihi, vel aliud comestibile inuenirem; et de nocte quidquid inueniebam id ad siluas longius asportabam. O attendite et videte, quam illa pessima vita erat! Post decimum vel vigesimum diem intraui insulam euertere corpora mortuorum. Quantus ibi poterat esse luctus, quantus ibi poterat esse foetor, quantus poterat esse timor aduertite! Non est homo ut opinor, qui tantis in animum reductis poenarum generibus non terreretur. Oportebat me inuenire cauernas, vel foveas facere, vel arbores quaerere perforatas in quas me possem recipere; cum illi densitatem veprium, opaca nemorum, aquarum profunda, intima solitudinum, tamquam canes, lepores et apros inuestigantes percurrere videban-



tur. Siluas has per mensem et amplius quaesierunt. Et cum per ipsa loca populos nequirent interimere uniuersos, se ad nouum genus fraudis taliter conuerterunt.

## XXXV.

*Quomodo tartari illos qui se in siluis absconderant deceperunt.*

Ceperunt aliquos per siluas latitantes, et eosdem sub hac voce miserunt; quod quisquis vellet ad fidem eorum se dare, securus reditus, infra certum terminum ad propria veniendi daretur ei. Quorum verbis cum homines iam propter victualium penuriam morerentur, totaliter crediderunt; et sic omnes qui remanserant ad domos proprias sunt reuersi. Et cum siluae magnae essent, erat adhuc populus infinitus qui latitabat; ita quod ad tres diaetas terra facta est populosa, et quaelibet villa elegit sibi regem de Tartaris quem optauit. Quo facto cum essent tempora messium, fruges unanimiter collegerunt, et eas ac stramina et foenum et alia ad horrea congregabant. Stabant nobiscum Tartari et Comani simul: videbant quamplurimi et gaudebant, laetabantur quod patres per filias, mariti per uxores, fratres per sorores pulcras vitam redimebant illas ad libitum eorum conseruantes, et pro quodam illis fiebat solatio, quod in conspectu patris vel mariti, uxor vel filia stuprabatur. Constituerunt Canesios id est Baliuos, qui iustitiam facerent, et eis equos animalia arma exenia et vestimenta utilia procurarent. Et sic procurator meus de istis dominis erat unus, et pene mille villas regebat. Et erant Canesii fere centum. Pacem habebamus et fora, iustaque unicuique iusticia seruabatur. Eis mittebantur pulcherrimae puellarum, sed oues boues vel equos ductores pro tali exenio reducebant. Conueniebant Canesii pene qualibet septimana. Ego vero saepius ut vitam eorum aspicerem, et aliquos de maioribus noscerem, et ut addiscerem si via redemptionis aliqua se offerret, ad eos cum meo Canesio accedebam.

Quadam vice praeceperunt omnes Canesii in man-



datis, ut de certis villis viri et mulieres puerique simul cum muneribus in eorum praesentiam venirent. Timebamus de hoc rumore non modicum, causam rei penitus ignorantes. Elegi igitur potius cum ipsis Canesiis ad exercitum ire, quam sub tali dubio in villa remanere. Quare nudi et discalceati ad custodiam curruum in quibusdam tentoriis Hungarorum, qui iam Tartari in suis operibus effecti erant, remansimus. Canesii vero ad recipienda munera accesserunt. Qui muneribus receptis omnes praesentantes in quamdam vallem duxerunt, enormiterque spoliatos et denudatos ibidem interfecerunt.

## XXXVI.

*Quomodo praesentis carminis auctor ad manus Tartarorum devenit.*

Et cum ad me rumores huiusmodi peruenirent ditioni cuiusdam Hungari facti, ut dixi, operibus Tartari me submisi, qui in suum seruum admittere pro magna gratia me est dignatus. Et cum per aliquot dies cum ipso permansissem, mortem semper prae corde praeque oculis habebam. Conspexi inter haec Comanos infinitos et Tartaros cum spoliis curribus oneratis, pecoribus iumentis et aliis utensilibus undique reuertentes. Et cum inquirerem quid hoc esset, responsum est quod ipsi una nocte dimissas omnes et singulas villas circumdantes inebriauerunt gladios in sanguine occisorum; ita quod in omnibus illis villis paucissimi euaserunt, qui in siluis et cauernis se abscondere potuerunt, ita quod remansit provincia totaliter desolata. Verumtamen nec fruges nec stramina nec domos aliquas combusserunt, sed in praeseruationem vitae omnia haec induxerunt. Pro eo conieci firmiter ipsos velle in illis partibus hiemare, vel familias suas dimittere, ut in hieme pro equis domos et victualia inuenirent. Quod totum postmodum didici esse verum. Nam populos viuere



ad tempus dimiserant ad cautelam, ut in unum segetes congregarent, et vindemiarent vineas; sed nolebant quod illi consumerent congregata.

## XXXVII.

*De destructione Nouae Villae et monasterii de Egres.*

Quid plura? Versus Orodinum et Chanadinum procedere inceperunt, in medio eorum noua villa dimissa, nomen cuius Perg fuerat, in qua homines septuaginta villarum fuerant congregati; et dimisso monasterio Egres Cisterciensis Ordinis, in quo tamquam munito castro se milites et multae dominae receperant. Nec tartari loca illa aggredi voluerunt, quousque circumcirca esset terra totaliter desolata. Sed interdum aliqui accedebant, et ab hungaris militibus, per magnum terrae spatium fugabantur, ita quod credebant firmiter se intactos propter suam potentiam remanere. Tandem post totius terrae illius desolationem Ruthenorum Comanorum Hungarorum captiuorum paucorum etiam Tartarorum multitudine adunata villam magnam undique circumdantes, ad pugnam captiuos Hungaros praemiserunt, et illis interemis totaliter, Rutheni Ismabelitae Comani postmodum pugnauerunt. Tartari vero retro post omnes stantes ridebant de casu et ruina illorum, et retrocedentes a pugna, suorum dabant voragini gladiatorum, ita quod ipsis diebus et noctibus pugnantibus per unam septimanam, et fossatis impletis, ceperunt villam. Milites igitur et dominas quae multae erant, extra in campo in una parte, et rusticos in alia posuerunt, et pecunia armis vestibus et aliis bonis receptis ab eis, et quibusdam duabus puellis reseruatis ad vitam, et ad lusum eorum deductis, cum securibus et gladiis omnes crudeliter interfecerunt. Illi quidem solummodo remanserant, qui inter mortuos repentino casu decidentes alieno sanguine cruentati se occultare valuerunt. O dolor, o crudelitas et rabies



immanis populi immensa! nam qui tantae gentis eladem sana mente consideraret, hunc locum agrum sanguinis debite dicere posset.

Tandem post paucos dies dictum claustrum siue monasterium Egres obsederunt, et appositis eidem multis machinis cum in ipso existentes nequirent resistere, ad manus et fidem ipsorum se, ut vita potirentur, reddiderunt. Sed de ipsis quod et de aliis factum est, exceptis quibusdam monachis, quos abire libenter permiserunt, et ad abusum eorum retentis quibusdam dominabus et pulcherrimis puellis. Quid amplius? Si describerentur singulariter pugnae singulae et crudelitates nimiae quae fiebant, legentium corda perterrerent, et terribili sonitu tinnire facerent aures. Si huiusmodi rumores horribiles essent diffusi per orbem, mundi principes aliter cogitarent. Ecce per aestatem illam usque ad confinia Austriae Bohemiae Moraviae Poloniae Slesiae et Comaniae usque ad Danubium communiter omnia destruxerunt.

### XXXVIII.

*De astutia Tartarorum ad transeundum Danubium exquisita.*

Sed cum Strigonium in Hungaria omnes et singulas praecelleret ciuitates, maxime cogitabant transire Danubium et ibi figere castra sua. Et ecce in hieme niuis et glaciei abundantia superuenit, ita quod Danubius, quod non acciderat a multis retroactis temporibus, gelabatur. Sed Hungari ex ipsorum parte singulis diebus frangebant glacies, et custodiebant Danubium; ita quod assidue fiebat pugna peditum super gelu. Tamen cum dirae glacies aduenerunt totus Danubius congelatus est; sed isti transire cum equis nullatenus attentabant. Aduertite igitur quid fecerint. Multos equos et animalia super ripam Danubii adduxerunt, et neminem per tres dies ad eorum custodiam dimiserunt; ita quod bestiae sine custodibus pergere videbantur, nec aliquis eorum in illis partibus apparebat. Tunc Hungari



credentes Tartaros recessisse, subito transierunt, et omnia illa animalia per glacies transdixerunt. Quod Tartari aduertentes cogitarunt posse in equis transire libere super gelu. Quod et factum est; et tot uno impetu transierunt, quod ex ista parte Danubii terrae faciem impleuerunt. Rex autem Cadan post regem Hungariae properauit, qui in Sclauonia, tamquam qui nullum habebat subsidium morabatur. Sed ipse huius facti praescius fugam iniiit, et cum ipse maritima castra acceptare nequiret ad insulas pertransiuit; ita quod usque ad recessum eorum, eum insulae tenuerunt. Videns Cadan rex quod eum habere non posset, destruxit Boznam, regnum Rasciae, et inde in Bulgariam pertransiuit.

## XXXIX.

*Quomodo Tartari Strigonium destruxerunt.*

Alia vero pars exercitus versus nominatum Strigonium habuit iter suum, et usque ad illud paucissimi accesserunt, sed se longius posuerunt, et usque ad triginta machinas parauerunt. Strigonienses interim se cum fossatis muris et turribus ligneis fortissime munierant. Et erat in ciuitate illa populus infinitus, et burgenses ditissimi, milites nobiles et dominae quae illic conuenerant, velut ad praesidium singulare; tantaque eorum erat superbia, quod credebant se resistere posse toti mundo. Ecce una dierum ciuitatem Tartari circumdederunt, et captiui qui cum eis erant tot ramorum fasciculos portauerunt, quibus in una parte ciuitatis supra fossati supercilium altum murum simul et semel de fasciculis construxerunt, et statim post murum illum dictas triginta machinas posuerunt; ita quod die noctuque ad ciuitatem et ad turres ligneas lapides emittebant. Et propter hoc tantus in ciuitate coepit esse tumultus, et tanta fuerunt caligine obumbrati, quod iam memoriam amiserant se defendendi, et inter se, tamquam caeci et fatui vexabantur. Cum vero Tartari munitiones ligneas destruxissent, saccos plenos terra ad implendum fossata



cum machinis emittebant. Verum nullus ex Hungaris et aliis audebat in fossati supercilio comparere propter lapides et sagittas. Hungari vero et Francigenae ac Lombardi, qui quasi erant domini ciuitatis, se non posse defendere aduertentes combusserunt suburbia et domos ligneas, quae multa erant, usque ad palatia ciuitatis. Pannos quoque et vestes combusserunt in domibus infinitas, interfecerunt equos, aurum et argentum ad terram foderunt, et quidquid boni habuerunt absconderunt; et ut se in palatiis defenderent, in eadem se receperunt. Sed Tartari praescientes quod combusta erant omnia de quibus se ditari credebant, contra eos magnam succensi in iram claudendo ciuitatem cum phalangis ligneis subito circumcirca ut nullus euaderet, quin per os gladii transiret; coeperunt postmodum palatia expugnare. Quibus velociter expugnatis, non credo ut verum fatear quod XV de tota remanserunt ciuitate, qui non fuissent tam intus quam extra nequiter interfecti. Ibi inebriauerunt gladios suos in sanguine, et ex calore quem conceperant contra eos, viuos assabant homines sicut porcos.

## XL.

*Quomodo postea Tartari destructa pene omni Hungaria ad propria redierunt.*

Dominae autem magnae sicut melius poterant ornatae in uno palatio se collegerant. Et cum capi et interfici deberent, ad audientiam magni principis appellauerunt. Omnes itaque sunt, fere trecentae, extra ciuitatem ad principem adductae; quae pro munere petierunt, ut eas vitae sub suo dominio conseruaret. Qui iratus pro eo, quod nihil lucrati fuerant, praecepit ut receptis spoliis earum capite truncarentur; quod subito factum fuit, castro ciuitatis non expugnato, in quo erat comes Symeon Hispanus cum multis balistariis, qui se viriliter defendebat. Et cum ad Albam regiam ciuitatem accederent, quae est paludibus circum-



septa, cum esset in dissolutione niuis et glaciei, nequierunt eam occupare. Et cum castrum Sancti Martini de Pannonia expugnarent, abbate se viriliter defendente, fuerunt subito reuocati. Ita quod ista tria loca tantum inexpugnata in illis partibus remanserunt. Et terram tam ultra Danubium quam citra, eorum in manibus habuerunt; sed citra non fuit sic funditus desolata, quia ibi sua tentoria non fixerunt, sed transeundo quidquid inuenerunt unanimiter destruxerunt.

Auditis itaque rumoribus, quod Tartari aspernabantur Teutoniam expugnare, quamplurimum dolui, quia ibi manus occidentium euadere opinabar: et gauisus fui non modicum, quia Christianorum excidium vitabatur. Sed maiorum regum de mandato incepimus per depopulatam terram retrocedere, cum curribus oneratis spoliis et armamentis, iumentorum et pecorum gregibus, pedetentim latebras et opaca saltuum exquirendo: ut quae reperta in progressibus non fuerant, in regressibus inuenirentur. Et sic recedendo paulatim peruenimus ultra siluas, ubi remanserat populi multitudo, et erant ibi post eorum transitum castra plurima praeparata. Et quid ultra? Exceptis castris quibusdam terram totaliter occuparunt, et eam procedentes desolatam et vacuam reliquerunt. Jam cum exirent Hungariam Comaniam intrare coeperunt. Non sinebant ut prius, quod sine delectu interficerentur bestiae pro captiuis; sed intestina et pedes bestiarum et capita tantum dabant eis. Tunc coepimus cogitare, ut etiam interpretes referebant, quod nobis Hungariam exeuntibus daturi essent nos omnes voragini gladiatorum. Et cum iam mihi viuendi fiducia nulla esset, et mors dira et aspera in ianuis haberetur, cogitavi melius ibi mori, quam procedendo assiduis morsibus cruciari. Et sic via publica derelicta ire ad opus naturale simulans ad densitatem saltus festinis gressibus cum seruiente unico properaui, et subintrans cuiusdam riuuli concauum, me feci ramis et foliis cooperiri. Absconditque se seruiens meus remotius, ne unius inopinata inuentio moestam operaretur alterius captionem. Et sic iacui-



mus duobus diebus naturalibus non leuantes capita, sicut in sepulcris; audientes voces illorum horribiles, qui propius per saltum post erroneum iter pecorum abibant, captiuos saepius, qui se abscondebant acclamantes.

Non valentibus autem nobis ulterius famis iustissimum appetitum, et edendi anxiam voluntatem infra claustra cordis taciturnitatis nodo perstringere, leuauimus capita, et more serpentium pedibus et manibus reptauimus super terra. Conuenimus tandem, et voce debili ac submissa moestas querelas importunae famis, alternatim coepimus reserare, ac gemitibus et fletibus explicare; quod gladio mori minoris excidii fuisset, quam per inediam compagine membrorum ac unionem corporis et animae dissoluere. Et cum pios sermones huiusmodi conferremus, affuit unus homo; ad quem cum se nostrorum acies extenderet oculorum, fugam iniuimus timorosam; nec auertimus oculos fugiendo ut intueremur, si nobis praeuius esse posset, vel foret nobis fugientibus subsequela. Sed non minus ipsum vidimus vices assumere praecursoris. Credebat enim quod virtus nostra praevalida insidias sibi poneret per obliquum. Et cum communis inspector traderet et teneret quod fugitiui conspicerent fugitiuum, armorumque delatio apud illos nulla foret, stetimus aduocantes nos ad inuicem, nutibus atque signis. Et cum unus daret de se ipso alteri notionem, prolixis sermonibus atque piis deliberando decreuimus quid agere deberemus. Sed angustia geminata, videlicet fame execrabili, et timore mortis, anxie torquebamur; ita quod priuari videbamus penitus lumine oculorum. Nam nequibamus succum herbarum siluestrium deglutire, vel ipsas herbas, uti faciunt bestiae, masticare. Et licet nos tanta fames perurgeret, et stupendae mortis aculeus immineret: praestabat tamen nobis viuendi fiducia fulcimentum, et euadendi spes fortitudinem ministrabat. Et sic assumpta fiducia in Domino confortati ad extrema siluae peruenimus, affectuose ascendimusque arborem eminentem, et terram conspeximus a Tartaris desolatam, quam non destruxerant



veniendo. O dolor! terram depopulatam et vacuum coepimus peragrare, quam in eundo dimiserant desolatam. Basilicarum siquidem campanilia de loco ad locum erant nobis signa ducentia, et ipsa viam nobis satis horridam praesignabant. Nam erant viae et semitae antiquatae et ab herbis et vepribus totaliter occupatae. Porrum caepe et allia quae in hortis rusticorum remanserant, quando reperiri poterant, mihi pro maximis deliciis ferebantur, ceteri malua et citurarum radicibus utebantur. His ventres famelici replebantur, et spiritus vegetabilis in exsangu corpore refocillabatur. Lassis requies non dabatur, utpote qui absque tecto et operimentum, quo nostra tegeremus capita non habentes, nocturno tempore quiescebamus. Tandem vix octavo die a siluae recessu ad Albam venimus ciuitatem, in qua nihil potuit reperiri praeterquam ossa et capita occisorum, basilicarum et palatiorum muros diruptos et suffossos, quos nimia Christiani cruoris effusio macularat. Et licet terra innoxium sanguinem quem inebriata suxerat non monstraret, ostendebant se lapides adhuc cruore roseo purpurati, per quos absque continuato gemitu amaris suspiriis festinus transitus non fiebat.

Et erat ibi ad decem milliaria iuxta siluam villa quae Frata dicitur in vulgari, et infra siluam ad quatuor milliaria mons mirabilis et excelsus, in cuius summitate lapis et petra fundabatur terribilis. Magna eo hominum et mulierum confugerat multitudo, qui nos gratanter cum fletu receperunt, interrogabantque nos de nostris periculis; quae nos omnia illis paucis verbis declarare nequibamus. Obtulerunt tandem nobis nigrum panem, de farina et contritis corticibus quercuum pistum: sed nobis dulcor illius supra similes quandocunque per nos comestas suauior videbatur. Mansimus igitur ibidem uno mense, nec fuimus ausi discedere, sed mittebamus semper speculatores ex hominibus leuioribus, videre et rescire, si adhuc aliqua pars Tartarorum in Hungaria remansisset, aut si arte deceptorum ut prius instructi, pro capiendis reliquiis fuga lapsis



reuerterentur. Et quamuis saepius necessitate quaerendi victualia cogente loca petierimus quondam habitata; nunquam tamen noster tutus fuit descensus, donec rex Bela maritimis de partibus per cruciferos de insula Rhodi et dominos de Frangapanibus, multis agminibus militum adiutus, certificatus prius per Hungaros de recessu Tartarorum, in Hungariam venit.

Scripsi igitur haec paternitati vestrae absque admixtione falsitatis, ut eadem vestra paternitas, quae prosperitatis meae scit rotam, sciat et aduersitatis ac periculi quidditatem. Valeat paternitas vestra.

---



### III.

## ADNOTATIONES HISTORICAE

### SECVLI XII, et XIII.

---

#### 1.

*De sepulcris octo priorum Hungariae regum.*

Reges nostri pie memorie: Sanctus Stephanus sepultus Albe.  
Andreas in monaster. abas. de Tihan.  
Bela Sexar.  
Salomon extra muros Alb.  
Geuca Vaci.  
Ladislaus Varad.  
Calman Albae.  
Stephan. minor Varad.

#### 2.

*Quos Bela rex Hungarorum, velut dominus papa, nuntios ad Thartaros direxit.*

Anno dominice incarnationis MCCXLVI-o Bela rex Hungarie audiens nuntios domini pape sibi per omnia manifestantes vitam et mores ut superius dictum est Thartarorum. Nec mora et ecce nuntii sui aulam intrantes, quos ad eosdem Thartaros direxerat, eorum gesta et secreta scrutando. Qui per omnia ut Frater Joannes regi nuntiauerat emulgauerunt in hunc modum.



Tempore illo quando Tartari, qui malleus orbis a pluribus nuncupantur Polloniam et Hungariam debellarunt, Occoday Can ipsorum eorum in terra sua a sorore sua male potionatus interfectus est. Habebat enim illa filium quem regnare cupiebat, et ob hanc causam ad eorum partes redire sunt compulsi, et sine imperatore per annos fere decem remanserunt. Completo vero termino et die electionis assignato conuenerunt ad eligendum imperatorem omnes principes et magnates eorum, et facta electione elegerunt in imperatorem filium Occoday imperatoris defuncti, qui Cuyuccan nominatur. Quem cum in solio ponere voluissent VIII. Kal. Augusti, cecidit grando mixta pluuiæ in tanta quantitate, quod ex eius subita resolutione decem Tartarorum cum multitudine pecorum mortui ceciderunt; et ideo inthronisationem ipsius usque ad Assumptionem beate Virginis distulerunt. Quo inthronisato in die iam dicto, statim fuit vexillum erectum, et expeditio edicta per XIX annos contra occidentales populos. Bellatores autem sunt electi ita, quod de decem hominibus tres fortiores cum uxoribus et pueris et pecoribus et omni substantia debent ire.

Rex autem Bela his rumoribus auditis motus et perterritus, filium suum in regem electum dedit filie regis Comanorum, nuptieque nouiter in Hungaria sunt celebrate. In his autem nuptiis X Comanorum conuenerunt, iurantes super canem gladio bipartitum iuxta eorum consuetudinem, quod terram Hungarorum tamquam regis fideles contra Thartaros et barbaras nationes obtinebunt.



#### IV.

## DUCUM ET REGUM HUNGARIAE GENEALOGIA TRIPLEX.

### 1. Codex Cornidesianus.

---

1. Primus ingressus Hungarorum ex Scythia in Daciam et Pannoniam sub ductu sex capitaneorum A. D. 200. Nomina capitaneorum. Primus fuit Ethele, secundus fuit Keue, tertius fuit Buda, quartus fuit similiter Keue,<sup>1)</sup> quintus vero fuit Bela,<sup>2)</sup> sextus vero fuit Kadicha.<sup>3)</sup> Anno Domini quadringentesimo quinto Attyla electus fuit in regem Hungarorum, et idem habuit duos filios puta Aladar et Chaba. Aladar primogenitus filius regis Athylae post obitum patris sui exiuit de Pannonia, et rediit in Scythiam. Regnavit autem rex Athyla annis quadraginta quatuor, et vixit annis centum et viginti quinque.

2. Secundus ingressus Hungarorum de Scythia in Daciam et Pannoniam sub ductu septem capitaneorum anno Domini septingentesimo quinquagesimo septimo. Nomina capitaneorum. Primus Arpad filius Almus, secundus fuit Zobolehy, tertius fuit Gyula, quartus fuit Cund,<sup>4)</sup> quintus fuit Leel, sextus fuit Verbuchus, septimus fuit Ewrs.<sup>5)</sup> Iste dux Arpad filius Almus, qui Almus fuit filius Elud, qui fuit filius Ed,<sup>6)</sup> qui fuit filius Edemen, qui fuit filius Chaba, filii Atylae regis. Hic Arpad genuit Zolthan, dux Zolthan genuit Thoxon,<sup>7)</sup> dux Thoxon genuit Geysam et Michae-

---

<sup>1)</sup> Rebue cod. <sup>2)</sup> Ala. cod. <sup>3)</sup> Radica. <sup>4)</sup> Daouem. c. <sup>5)</sup> Ewre. <sup>6)</sup> Od. <sup>7)</sup> Chopon.



lem. Michael genuit Ladislaum Caluum et Vazul.<sup>1)</sup> Ladislaus autem Caluus genuit tres filios, scilicet Andream Album Belam et Leuentham. Iste dux Geysa primogenitus ducis Thoxon genuit sanctum regem Stephanum ex Sarolth filia Gyulae. Hic Geysa primus inter Hungaros christianus factus est. Baptizatus fuisse dicitur a beato Adalberto episcopo Wratizlauensi.

*De coronatione sancti primi regis Stephani.*

3. Christianus autem rex Stephanus filius Geysae ducis primus rex Hungarorum coronatus est anno Domini millesimo primo. Huius filius fuit sanctus dux Emericus; decessit ante patrem in virginitate. Regnavit autem sanctus rex Stephanus annis quadraginta et sex. Obiit in festo Assumptionis beatae Mariae virginis, et sepultus est Albae in basilica quam ipse fundavit ad honorem beatae Mariae semper virginis.

4. Post sanctum regem Stephanum regnavit rex Petrus Alemannus, qui regnavit annis sex. Expulsus et occisus fuit prope Albam in villa Zamor anno Domini millesimo quinquagesimo quinto, et sepultus est corpus eius in Quinque-ecclesiis in ecclesia quam ipse fundavit anno tertio regni sui. Expulso Petro rege, Alba in regem coronatus regnavit tribus annis. Expulsus et interfectus prope villam Alba nomine penes Tisciam anno Domini millesimo quinquagesimo octavo, et sepultus in suo monasterio Saar, quod ipse fundavit.

5. Occiso rege Alba coronatus est rex Andreas Albus filius Ladislai Calui, qui coronatus est anno Domini millesimo quadragesimo septimo. Deduxit sibi rex Andreas Albus in uxorem filiam ducis Ruthenorum; a qua annis quindecim mortuus est in villa Siroch anno Domini millesimo sexagesimo nono. Sepultus est in Thyhon in monasterio sancti Aniani, quod ipso fundavit.

<sup>1)</sup> Vagul.



6. Mortuo rege Andrea coronatus est rex Bela Belin frater Andreae Albi filius Ladislai Calui, et genuit in Polonia duos filios Geysam, et sanctum regem Ladislaum; in Hungaria vero genuit Lampertum. Postquam enim sanctus rex Stephanus conuertit Hungariam ad Christum bis in paganismum versa est: primo, tempore regis Andreae Albi, secundo vero tempore regis Belae Belyn, sicut nunc scriptum est. Regnauit autem piissimus rex tribus annis, obiit autem anno Domini millesimo septuagesimo primo. Sepultus est in monasterio sancti Saluatoris quod ipse construxerat in loco qui dicitur Zugzard.

7. Post regem Belam Belin coronatus fuit rex Salomon filius Andreae Albi, qui regnauit annis undecim, et habuit in uxorem filiam imperatoris Theutonicorum nomine Sophiam, sed fuit sine prole. Expulsus fuit de regno Hungariae, fugit Theutonium, ubi migravit ad Dominum, de anno ignoramus, et sepultus est Polae in ciuitate Hystriae. Uxor autem et mater eius in Agmund requiescunt.

8. Post regem Salomonem regnauit rex Geysa primogenitus<sup>1)</sup> regis Belae Belyn. Regnauit autem rex Geysa tribus annis, et genuit duos filios, scilicet Colomannum et Almun. Erat autem fide catholicus deuotissimus et christianissimus princeps. Obiit anno Domini millesimo octuagesimo et Waciae tumulatur in ecclesia beatae Mariae Virginis, quam ipse fundauit et dotauit.

9. Post mortem regis Geysae coronatus est sanctus rex Ladislaus filius regis Belae Belyn, et regnauit decem et nouem annis et mensibus tribus, et fuit sine herede. Migravit ad Christum anno Domini millesimo nonagesimo quinto (quarto) kalendas Augusti feria prima. Cuius corpus Waradini deuotissime veneratur.

10. Post mortem sancti regis Ladislai coronatus est sanctus rex Colomanus filius regis Geysae primi. Hic rex Colomanus prius fuit episcopus Waradiensis, sed quia fratres

---

<sup>1)</sup> primus. cod.



quos habebat morte sunt praeuenti, ideo summo pontifice cum eo dispensate regnare compellitur. Regnavit autem rex Colomanus annis decem et octo et mensibus sex et diebus quinque, et genuit duos filios, scilicet Ladislaum et Stephanum. Migravit ad Dominum anno Domini millesimo centesimo decimo quarto III Nonas Februarii feria tertia, cuius corpus Albae quiescit.

11. Mortuo rege Colomano Stephanus filius eius in regem coronatus — cui successit Stephanus filius eius secundus — qui regnavit annis decem et octo, mensibus quinque. Decessit sine herede anno Domini millesimo centesimo trigesimo primo, cuius corpus Waradini quiescit.

12. Mortuo rege Stephano successit. Bela Caecus filius Almi ducis, filii Lamperti ducis, qui fuit filius regis Belae primi. Regnavit autem rex Bela Caecus annis novem et mensibus undecim, et genuit quatuor filios, scilicet Geyssam Ladislaum Stephanum et Almun. Migravit ad Dominum anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo Idibus Februarii feria quinta. Cuius corpus Albae quiescit.

13. Mortuo rege Bela Caeco rex Geyssa secundus, filius eius primogenitus coronatur. Qui coronatus quarto Kalendas Martii in Dominica „Inuocavit me“ transactis duobus diebus post mortem patris sui, et regnavit annis viginti, mensibus tribus et diebus undecim; et genuit quatuor filios: scilicet Stephanum Belam Arpad atque Geyssam. Obiit anno Domini millesimo centesimo sexagesimo primo pridie Kalendas Junii feria quarta. Cuius corpus Albae quiescit.

14. Mortuo rege Geyssa successit filius eius rex Stephanus tertius, qui regnavit annis undecim et mensibus novem et diebus tribus. In cuius imperio dux Ladislaus filius Caeci Belae usurpavit sibi coronam dimidio anno. Migravit ad Dominum anno Domini millesimo (centesimo) septuagesimo secundo. Cuius corpus Albae quiescit. Post hoc Stephanus frater eius usurpavit sibi coronam, et reg-



nauit quinque mensibus et diebus quinque. Obit in castro Zemlem; cuius corpus Albae inter ambos fratres Ladislaum et Stephanum. Lucas Strigoniensis archiepiscopus excommunicauerat, et periculum eis certissime futurum eis praedixerat, eo quod sese illegitime fecerant coronari. Dictus vero rex Stephanus tertius filius Geysae secundi sine prole decessit anno Domini millesimo centesimo (septuagesimo) tertio. Cuius corpus Strigonii requiescit.

15. Mortuo rege Bela<sup>1)</sup> successit rex Emericus filius eius, qui regnauit annis octo et mensibus septem et diebus sex. Huius uxor fuit domina Constantia filia regis Aragoniae, (quae) caesari Frederico<sup>2)</sup> per consilium apostolici copulatur. Et genuit unum filium nomine Ladislaum. Migravit ad Christum anno Domini millesimo (du)centesimo. Cuius corpus requiescit in ecclesia Agriensi.

16. Successit Ladislaus tertius filius regis Emerici, qui regnauit mensibus sex et diebus (duobus). Decessit sine prole in fine eiusdem anni, quo pater eius mortuus est, videlicet anno Domini millesimo ducentesimo primo, Nonis Maii. Cuius corpus Albae quiescit.

17. Mortuo rege Ladislao successit Andreas secundus filius Belae (tertii), qui coronatus est vigesimo septimo die post mortem Ladislai regis, quarto Kalendas Junii in Pentecosten. Cuius uxor fuit domina Gertrudis de Alemania, de qua genuit Belam Colomannum et beatam Elisabeth, et hos de prima uxore. De secunda uxore filia marchionis Estensis genuit Stephanum patrem Andreae tertii, et regnauit annis triginta. Iste rex Andreas exportauit multas reliquias. Migravit ad Dominum anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo quinto. Cuius corpus Waradini quiescit ad pedes sancti Ladislai.

18. Successit Bela quartus filius Andreae secundi, qui regnauit annis triginta tribus. Obit autem piissimus

---

<sup>1)</sup> Huius imperium, proles et locus sepulturae praetermissa sunt. <sup>2)</sup> caesaris Frederici cod.



rex Bela anno Domini millesimo ducentesimo (septuagesimo),<sup>1)</sup> quinto Nonas Maii feria sexta in festo Inventionis sanctae Crucis (in) insula Budensi. Et sepultum est corpus eius Strigonii in ecclesia beatae Mariae cum consorte sua nomine Maria filia imperatoris Graeci, et duce Bela filio suo carissimo requiescit, ubi hi versus continentur:

Aspice rem charam, tres cingunt Virginis aram

Rex dux regina, quibus adsint gaudia trina.

Dum licuit, tua dum viguit rex Bela potestas

Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honestas.

19. Post ipsum anno Domini (millesimo) ducentesimo septuagesimo primo coepit regnare filius eius rex Stephanus per totam Hungariam, et regnavit annis duobus, et genuit unum filium nomine Ladislaum, et filiam Mariam, quae fuit data in matrimonium Carolo Claudio regi Siciliae, de qua genuit Carolum Martellum. Qui quidem Carolus Martellus genuit Carobertum, post: Carolum Robertum; quem postea Hungari vocarunt Carolum. Obiit rex Stephanus optimus princeps anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, anno tertio regni sui magni. Sepultus est in ecclesia beatae Mariae Virginis in insula Budensi in loco Beginarum.<sup>2)</sup>

20. Successit filius eius Ladislaus, et coronatus est eodem anno quo mortuus est pater eius, videlicet anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo. Iste rex Ladislaus filiam regis de Apulia coniugem habuit, sed spreto iugo coniugali adhaesit filiabus Cumanorum Ayduam<sup>3)</sup> Cupchech et Mandulcam vocatis, ac alias quamplures in concubinas habebat, et sic fuit occisus a Cumanis. Tempore istius Ladislai regis incepit Hungaria reflecti a sua magnificentia in casus flebiles. In quo rege, quia sine herede decessit, defecit semen masculinum sanctorum regum. Regnavit rex Ladislaus annis decem et septem. Obiit anno

<sup>1)</sup> librarius addit: 1268. <sup>2)</sup> Reginarum cod. <sup>3)</sup> Cod. Aydicam.



(millesimo) ducentesimo nonagesimo primo. Sepultus esse dicitur Chanadini.

21. Post cuius regis mortem eodem anno decimo octauo die Andreas dux de Venetiis (coronatur qui) introductus fuit in Hungariam; viuento adhuc Ladislao rege in Hungariam subintrauit, eo quod esset dux qui debebat habere portionem in regno Hungariae, regis Andreae titulo, aui sui. Cum autem fuisset occisus rex Ladislaus, a baronibus regni feliciter est coronatus. Regnauit autem rex Andreas annis decem, et fuit sine herede. Anno Domini millesimo trecentesimo primo in festo sancti Felicis in Pincis in castro Budensi requieuit<sup>1)</sup> in Domino et sepultus est in ecclesia sancti Joannis Euuangelistae apud Fratres Minores.

22. Mortuo rege Andrea missum fuit pro Carolo paruo pronepote Stephani quinti, filio Martelli Caroli. Sed quod iste Carolus in tenera aetate adhuc erat, introductus fuit contra eum Venceslaus filius regis Bohemiae, quem Hungari Ladislaum vocauerunt. Regnauit tribus annis, sed propter dissensiones reliquit regnum, et reductus fuit ad patrem suum in Bohemiam cum corona regni Hungariae, et cum magno damno Hungarorum et praecipue ecclesiae Strigoniensis.

*De<sup>2)</sup> coronatione Ottonis ducis Bauariae.*

23. (Post) reductionem Venceslai siue Ladislai introductus fuit iterum contra Carolum per quosdam praelatos et barones regni Hungariae Otto dux Bauariae, et coronatus est Albae in regem Hungarorum. Regnauit tribus annis. Sed postea spoliatus et expulsus fuit de regno Hungariae, et regnum deuolutum fuit omnino ad Carolum.

24. Expulso Ottone Carolus in regem coronatur. Cepit uxorem rex Carolus filiam Ladislai regis Poloniae

<sup>1)</sup> regnauit. perperam. <sup>2)</sup> A. cod.



Elisabeth nomine et genuit quatuor filios, scilicet Carolum Ladislaum Ludouicum et Andream. Regnavit rex Carolus annis quadraginta duobus. Migravit ad Dominum anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo (secundo), et sepultus est Albae.

25. Mortuo tumultoque glorioso principe domino Carolo rege Hungariae dux Ludouicus filius eius in regem coronatus. Regnavit autem rex Ludouicus quadraginta et uno annis, et viginti duobus diebus, et genuit tres filias, scilicet Mariam Eduigam et Catherinam. Migravit ad Dominum rex Ludouicus anno Domini millesimo tricentesimo octuagesimo secundo. Cuius corpus Albae quiescit.

26. Post obitum regis Ludouici coronata fuit domina Maria filia regis Ludouici, quae fuit data in matrimonium Sigismundo filio Caroli imperatoris et regis Bohemiae. Regnavit domina Maria quatuor forte annis, postea obiit anno Domini millesimo tricentesimo octuagesimo quinto, et sepulta est Varadini. In hac<sup>1)</sup> regina Maria defecit tandem semen utriusque sexus sanctorum regum.

*De coronatione regis Sigismundi filii Caroli imperatoris  
et regis Bohemiae.*

27. (Sigismundus fuit electus in regem) coronatusque est vigesimo aetatis suae anno. Regnavit in toto annis quinquaginta et mensibus novem, et genuit unicam filiam nomine Elisabeth. Migravit ad Dominum anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, aetatis suae anno septuagesimo primo. Cuius corpus Varadini quiescit.

28. Post regem Sigismundum electus fuit in regem Albertus dux Austriae gener ipsius, in fauorem Elisabeth filiae eiusdem Sigismundi, uxoris scilicet Alberti, coronatusque fuit in die Circumcisionis Domini anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo octavo. Et regnavit

<sup>1)</sup> Julia. cod.



anno uno, et mensibus nouem, natusque est ei filius posthumus Ladislaus nomine. Obiit rex Albertus anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono. Cuius corpus Albae quiescit.

29. Mortuo rege Alberto introductus fuit rex Ladislaus Poloniae, et regnauit annis prope quatuor. Juxta mare periit anno Domini millesimo quadringentesimo quadragésimo quarto, ibidem est sepultus. Hic fuit princeps optimis<sup>1)</sup> moribus institutus, religiosus pius castus, ferox<sup>2)</sup> et magnanimus in armis.

30. Post mortem regis Ladislai Poloniae electus fuit Johannes de Hunyad in gubernationem regni Hungariae, et gubernauit regnum annis pene octo. Obiit in Nandor Alba anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Sepultus est in ecclesia Transyluaniae.

31. Ladislaus filius regis Alberti duodecimo aetatis suae anno ereptus fuit de manibus Frederici regis Romanorum. Corona regni Hungariae nihilominus per eundem Fredericum retenta. Hic fuit iuuenis probis moribus pollens, pudicus fidelis et pro aetate prudens, coepitque regnare viuente adhuc Joanne gubernatore. Obiit Pragae anno aetatis et coronationis suae decimo octauo, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo Pragae quiescit (in) cathedrali ecclesia.

32. Coronatus est rex Mathias anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, videlicet in quinta feria Maioris hebdomadae. Et obiit autem inuictissimus rex Mathias anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo in hebdomada Magna feria tertia.

---

<sup>1)</sup> optimus. Cod. <sup>2)</sup> verax. habet chron. B.



## Genealogiae

### 2. Codex Toldyanus.

Primus ingressus Hunorum de Scythia in Daciam et Pannoniam sub sex capitaneis A. D. quadringentesimo decimo septimo. Primus capitaneus Ethele, secundus Kewe, tertius Buda, quartus Bela, quintus Kewe, sextus Chadycha. Anno Domini quadringentesimo quadragesimo quinto Attila electus fuit in regem. Aladar filius Attilae, Chyaba alter filius, qui post obitum Attilae ex Hungaria redierunt in Scythiam.

Secundus ingressus Hungarorum in Pannoniam sub septem capitaneis A. D. septingentesimo quadragesimo quarto,<sup>1)</sup> a morte vero regis Attilae CCC primo.<sup>2)</sup> Primus capitaneus fuit Arpad filius Almus, filii Elewd,<sup>3)</sup> filii Ugeg; secundus capitaneus fuit Zobolch, tertius Gyla, quartus Kwnd, quintus Leel,<sup>4)</sup> sextus Werbulcho, septimus Urs.

*Arpad dux* filius Almus, qui

### 3. Codex Knauzianus.

Quare silentio hic pertransiens primum illorum Hunnorum exitum, in secundo eorum ex Scitia egressu primus capitaneus Arpad quasi princeps aliorum fuisse dicitur, et ex ipsius generatione profluxerunt complures principes eiusdem generis, qui Pannoniam usque ad tempora diui regis Stephani gubernauerunt. Hoc videlicet ordine.

Nam *Arpad* iste genuit filium

<sup>1)</sup> Cod. habuit: sexagesimo septimo, sed numerus hic deletus est. T.

<sup>2)</sup> Manus quae priorem annum deleuit videtur hic interseruisse: In chronica habetur: quadragesimo quarto. T. <sup>3)</sup> Cod. Elenad; sed infra: Elewd; et seruanda est unica scribendi ratio. Ed. <sup>4)</sup> Cod. perperam: Beel.



Almus fuit filius Elewd, filii Ugeg, filii Edemen, filii Chaba, filii Attilae. Hic Arpad genuit Zoltan, dux Zoltan genuit Taxon, dux Taxon genuit Geysam et Michaellem, Michael genuit Ladislaum Calvum et Wazwl. Ladislaus Calvus genuit Andream Belam et Leventham.

*Geysa dux* primogenitus ducis Taxon genuit sanctum regem Stephanum anno Domini nongentesimo sexagesimo nono. Hic Geysa primus inter Hungaros christianus factus dicitur esse baptisatus a beato Adalberto episcopo.

*Sanctus Stephanus* filius Geysae primus rex Hungarorum coronatus anno Domini millesimo primo. Huius filius sanctus Emericus decessit ante patrem in virginitate permansus, et ascriptus cathalogo sanctorum. Ipse vero S. Stephanus obiit A. D. millesimo quadragesimo septimo,<sup>1)</sup> regnavitque annis XLVI. sepultus Albae Regali.

qui dicitur Zolthan; dux Zolthan genuit Toxon ducem; dux Toxon genuit Geyzam et Michaellem; is Michael genuit Ladislaum Caluum et Wazul; Ladislaus Caluus genuit Andream, Belam et Leventem.

*Geysa* supradictus filius primogenitus ducis Toxon, genuit sanctum Stephanum regem. Hic Geysa pater beati Stephani regis primus inter Hungaros fidem christianam amplexus est et baptizatus fuisse dicitur a beato Adalberto episcopo cuius inter Hungaros clara est memoria.

*Sanctus Stephanus* filius Geysae ducis primus Hungariae rex coronatus est anno Domini millesimo primo; et magnam et fere totam Hungariae partem et regionem ad fidem Christi conuertit. Propterea Hungarorum rex et apostolus est cognominatus, et regnavit in Hungaria annis quadraginta sex. Mortuus enim est anno Domini millesimo quadragesimo septimo, sepultus in Alba Regali. Hic habuit filium unicum sanctum Emericum, qui decessit in virginitate ante patrem, et ascriptus est cathalogo sanctorum.

<sup>1)</sup> Correctum alia manu: tricesimo octavo; in margine habetur: sexto. T.



*Petrus Alamanus* filius Vylhelmi ex sorore sancti Stephani progenitus. Post ipsum sanctum Stephanum regnavit in toto annis sex.

*Aba Banus* sororius S. Stephani, tempore Petri Theutonici expulsi vivente eo electus fuit in regem et coronatus, et regnavit tribus annis, et postea occisus, sepultusque est in monasterio de Saar A. D. millesimo quadringentesimo tertio. Ipso tandem Aba occiso, Petrus iterum introducitur per Henricum imperatorem, ac de novo coronatur, deinde occiditur, et in ecclesia Quinqueecclesiensi sepultus est.

*Andreas Albus* primogenitus Ladislai Calui post Petrum Theutonicum prius expulsum, et deinde occiso rege Aba pessimo tyranno reductum in Hungariam ac demum interemtum. Regnavit annis XV. et genuit duos filios Salamonem videlicet et David. Occisus est autem A. D. millesimo sexagesimo nono sepultus in Thykonio.

*Bela Belin* dictus, frater An-

*Petrus Alemanus* filius Wylhelmi ex sorore sancti Stephani electus fuit in regem post ipsum sanctum Stephanum. Homo fuit crudelissimus et propterea de regno fuit expulsus, licet postea fuerit reductus per Henricum imperatorem, regnavitque in toto annis sex. Iste fuit occisus propter crudelitatem et sepultus in ecclesia Quinqueecclesiensi.

*Aba siue Abanus* sororius sancti Stephani regis, tempore Petri Alemani siue Teutonici expulsi et adhuc viventis fuit electus in regem et coronatus, regnavitque tribus annis; et postea propter crudelitatem fuit occisus, sepultusque est in monasterio Saar anno Domini millesimo quingentesimo tertio. Post cuius mortem, ut dictum est, Petrus Alemanus fuit reductus in regem, ac de novo coronatus ac occisus.

*Andreas Albus* primogenitus Ladislai Calui post Petrum Teutonicum electus fuit in regem Hungariae, et regnavit annis quindecim felicius quam priores duo. Hic genuit filios duos Salamonem et David. Occisus est autem anno Domini millesimo sexagesimo nono. Sepultus est in Ticonio insula laci Balathon.

*Bela* primus frater Andreae



dreae Albi post Andream regnavit tribus annis, qui genuit tres filios, duos in Polonia Geysam videlicet et Ladislaum; tertium vero reuersus in Hungariam, scilicet Lamperum. Obiit autem A. D. millesimo septuagesimo primo, sepultus in ecclesia Sexard, quam ipse fecit.

*Salamon* filius Andree Albi. Post obitum Belae primi regnavit XI annis. De anno obitus sui ignoratur, quia expulsus dicitur fuisse. Mortuus in Austria vel Stiria. Intrauerat autem religionem tempore sancti regis Ladislai.

*Geysa* primogenitus Belae Belin, adhuc viuente Salamone expulso regnavit tribus annis, et genuit duos filios Colomannum et Almun. Obiit autem A. D. millesimo octogesimo, sepultus in ecclesia Vaciensi.

*Sanctus rex Ladislaus* filius Belae primi successit Geysae et regnavit annis XIX. et decessit sine liberis A. D. millesimo nonagesimo sexto, et quiescit in templo Varadiensi.

Albi post Andream regnavit tribus annis; qui genuit tres filios: duos in Polonia, videlicet Geysam et Ladislaum, tertium vero reuersus in Hungariam, videlicet Lamperum. Obiit autem anno Domini millesimo septuagesimo primo, sepultus in monasterio Abbatiae Saxuord, quod ipse fecerat atque construxerat.

*Salamon* filius Andree Albi, post obitum Belae primi in magnis tribulationibus et persecutionibus. Regnavit autem annis undecim quamuis de anno obitus sui ignoratur. Expulsus enim fuit et mortuus esse dicitur in Austria vel Stiria. Nam intrauerat religionem tempore sancti regis Ladislai sui consanguinei, qui illum persecutus est.

*Geyza* primogenitus regis Belae primi viuente adhuc Salamone expulso regnavit tribus annis et genuit duos filios Colomanum et Almun. Obiit anno Domini millesimo octuagesimo, et sepultus est in ecclesia Vaciensi.

*Sanctus Ladislaus* rex filius eiusdem Belae primi successit Geysae et regnavit feliciter annis decem et nouem, gessitque multa bella cum Tartaris et aliis aduersariis ac emulis regni. Iste gladio suo Belgradum siue Nandoralbam imperio hungarico acquisiuit. De-



*Colomannus* filius Geyzae, filii Belae primi successit sancto Ladislao regi et regnavit annis XVIII mensibus VI diebus V. Hic dicitur fuisse primus episcopus Varadiensis, sed per dispensationem apostolicam inde fuit eductus atque coronatus in regem. Ipse excoecavit Almus ducem et filium eius Belam: genuitque duos filios Ladislaum et Stephanum. Obiit autem a. D. M. centesimo decimo quarto, sepultus est in Alba Regali.

*Stephanus secundus* filius ipsius Colomani successit, et regnavit annis XVIII, ac decessit sine herede a. D. M. centesimo trigesimo primo, atque sepultus dicitur esse in templo Varadiensi.

*Bela secundus* coecus filius Almus filii Lamperti, qui fuit filius Belae primi, post Stephanum adeptus est regnum et regnavit annis 9, mensibus XI diebus 12, et genuit quatuor filios: Geysam Ladislaum Stephanum et Almus.

cessit sine prole anno Domini millesimo nonagesimo sexto. Sepultus est in ecclesia Waradiensi, ubi dies noctesque apud sepulcrum eius decantantur in laudem Dei psalmi Davidis.

*Colomanus* filius Geyzae filii Belae primi successit sacro regi Ladislao, et regnavit annis decem et octo, mensibus sex, diebus quinque. Hic prius fuisse dicitur episcopus Varadiensis, sed per dispensationem apostolicam propter defectum seminis regii fuit ex episcopatu electus in regem Hungariae, et propterea vocatur apud Hungaros Onnes Kalman Kyraly. Iste excoecavit Almus ducem et filium eius Belam genuitque duos filios Ladislaum et Stephanum. Obiit anno Domini millesimo centesimo decimo quarto. Sepultus est in Alba Regali.

*Stephanus secundus* filius ipsius Colomani successit patri et regnavit annis decem et octo, decessitque sine herede anno Domini millesimo centesimo tricessimo primo. Sepultus est Waradini.

*Bela secundus* coecus filius ducis Almus filii Lamperti, qui fuit filius Belae primi, adeptus est regnum post Stephanum, et regnavit annis novem, mensibus undecim, diebus duodecim, et genuit quattuor filios: Geysam, Ladislaum. Stepha-



Obiit autem anno D. centesimo quadragesimo primo, sepultus in Alba Regali.

*Geyza secundus* filius ac primogenitus ipsius Belae coeci, successit Belae coeco, et regnavit annis XX, et mensibus tribus, diebus vero XV et genuit filios quatuor: Stephanum, Belam, Arpad et Geysam. Obiit Anno D. M. Cmo sexagesimo primo. In Alba Regali dicitur esse sepultus.

*Stephanus tertius* filius ipsius Geysae post Geysam regnavit annis XI. mensibus novem, diebus tribus. Decessit sine herede anno M. C. septuagesimo tertio. — — — — —

Dicitur sepultus esse in Alba regali.

*Stephanus quartus* frater ipsius Ladislai filius Belae Coeci mortuo ipso Ladislao, sed adhuc etiam ipso rege Stephano vivente, modo simili usurpavit sibi coronam et regnavit mensibus V. Isti ambo fratres per Lucam Strigoniensem archiepiscopum fuerunt excommunicati, et periculum eis citissime

num et Almun. Obiit autem anno dom. mill. cent. quadragesimo primo et sepultus est in Alba regali.

*Geyza secundus* filius primogenitus ipsius Belae ceci successit patri et regnavit annis viginti et mensibus tribus diebus quindecim, genuitque filios quatuor: Stephanum, Belam, Arpad et Geysam. Obiit A. D. mill. cent. sexagesimo primo. In Alba Regali sepultus est.

*Stephanus tertius* filius ipsius Geysae post patrem regnavit annis undecim, mensibus novem, diebus tribus. Decessit sine herede A. d. mill. cent. septuagesimo tertio, et in ecclesia Strigoniensi sepultus est.

*Ladislauus* filius Ceci Belae vivente adhuc Stephano filio Geysae usurpavit sibi coronam et regnum, sicque regnavit mensibus sex. Obiit A. d. mill. cent. septuagesimo tertio sepultus in Alba Regali.

*Stephanus quartus* frater ipsius Ladislai filius Belae Ceci mortuo ipso Ladislao, sed adhuc etiam ipso Stephano rege vivente modo simili usurpavit sibi coronam et regnavit mensibus quinque. Isti ambo fratres per Lucam archiepiscopum Strigoniensem fuerunt excommunicati. Qui archiepiscopum



futurum, eo quod sese illegitime fecerunt coronari, praedixerat. Obiit anno M. C. septuagesimo tertio; in Alba quiescit conditus.

*Bela tertius* filius Geysae secundi, post Stephanum tertium successit, et regnavit annis XXIII. mense uno diebus IX. et genuit duos filios. Emericum et Andream. Obiit anno M. centesimo nonagesimo sexto. Sepultus est in Alba Regali.

*Emericus* filius Belae tertii, successit patri, et regnavit annis VIII mensibus septem diebus sex, et genuit filium Ladislaum. Obiit anno D. M. CC. quarto. Dicitur esse sepultus in templo Agriensi.

*Ladislaus tertius* filius eiusdem Emerici successit in regnum et regnavit mensibus sex et duobus diebus. Decessit sine herede in fine eiusdem anni quo pater eius mortuus est. (In) Alba dicitur esse sepultus.

*Andreas secundus* filius tertii Belae successit in regnum, et regnavit annis XXXIII, et genuit filios Belam, Colomannum, Andream, et filiam sanctam Elizabeth, et hos de prima uxore; de secunda vero uxore filia videlicet marchio-

etiam praedixerat ipsis ambobus periculum citissime futurum, eo quod sese inlegitime fecerunt coronari. Obiitque iste anno Domini mill. cent. septuagesimo tertio. Albae quiescit.

*Bela tertius* filius videlicet Geysae secundi successit Stephano et regnavit annis viginti tribus mense uno diebus nouem. Genuit duos filios Emericum et Andream. Obiit A. D. mill. cent. nonagesimo sexto. Sepultus in Alba Regali.

*Emericus* filius Belae tertii deinde regnavit annis octo mensibus septem et diebus sex, genuitque filium Ladislaum. Obiit A. D. mill. ducentesimo quarto, sepultus in ecclesia Agriensi.

*Ladislaus* filius eiusdem Emerici successit in regnum et regnavit mensibus sex et diebus duobus. Decessit sine herede in fine eiusdem anni, quo pater suus mortuus fuerat, sepultus in Alba regali.

*Andreas secundus* filius tertii Belae successit in regnum et regnavit feliciter annis triginta. Hic est ille gloriosus rex Andreas Ierosolimitanus appellatus, qui privilegia libertatis maxima concessit nobilitati Vngariae, et ad cuius



nis (Estensis<sup>1</sup>) genuit Stephanum patrem Andreae tertii, qui de Venetiis dicitur, quia idem Stephanus ipsum Andream genuerat ex filia eiusdem ciuis Venetensis. Obiit autem anno M. CC. tricesimo quarto, sepultus in templo Varadiensi.

*Bela quartus* post obitum Andreae secundi patris sui regnavit annis XXXIII et mensibus VII, genuitque duos filios Stephanum et Belam. Huius tempore Tartari totam Hungariam deuastauerunt. Obiit anno M. CC. septuagesimo, sepultus Strigonii apud Fratres Minores.

*Stephanus quintus* filius Belae quarti successit et regnavit annis duobus. Genuit filium Ladislaum et filiam Mariam, quae fuit data in matrimonium Karolo Claudio regi Siciliae filio Karoli Magni, e qua genuit Karolum Marcellum (qui) quidem Karolus Marcellus Karlobertum; id est Karolum Ro-

decreti obseruationem uniuersi Hungariae reges tempore coronationis ipsorum solent iurare. Genuit filios Belam Colomanum et Andream, ac filiam sanctam Elisabeth, et hos de prima uxore. De secunda uxore videlicet filia marchionis (Hestensis<sup>2</sup>) genuit Stephanum patrem Andreae tercii, de quo infra dicitur.

*Bela quartus* post obitum Andreae secundi regnavit annis triginta tribus et mensibus septem, genuitque duos filios Stephanum et Belam. Huius tempore Tartari deuastauerunt totam Hungariam, et per eos fuit expulsus ad insulas maris Adriatici. Vnde postea fuit reductus auxilio potentissimorum dominorum de Frangepanibus, quibus propterea amplissimam dedit ditionem castrorum et castellorum ab ipso mari Adriatico usque ad flumen Jauis. Obiit A. D. mill. duc. septuagesimo, sepultus Strigonii apud fratres Minores.

*Stephanus quintus* filius Belae quarti successit patri in regnum, et regnavit annis duobus, genuitque filium Ladislaum, et filiam Mariam, quae fuit data in matrimonium Carolo Claudio regi Siciliae, filio videlicet Caroli Magni, ex qua genuit Karolum Marcellum; qui quidem Carolus Marcellus ge-

<sup>1</sup>) Cod. loco: Estensis habet: etiam. T. <sup>2</sup>) cod. teneris.



bertum, quem Hungari vocauerunt postea simpliciter Karolum. Obiit autem a. D. M. CC. septuagesimo tertio in insula Budensi apud Sorores.

*Kun Ladislaus sextus*, filius Stephani quinti regnavit annis XVII, et occisus est per quosdam famulos suos Comanos, et decessit sine herede, in quo deficit semen masculinum sanctorum regum. Obiit anno M. CC. nonagesimo. Chyanadini sepultus esse dicitur.

*Andreas tertius* post superscriptos reges primus ex parte alienigena, quem Hungari Andream de Venetiis vocauerunt, qui scilicet fuit nepos Andreae secundi et regnavit annis X. Decessit sine herede anno M. CCC. primo, sepultus Budae in claustro S. Joannis apud Fratres Minores.

*Ladislaus septimus aliter Venceslaus* dictus filius regis Bohemiae inductus fuit contra Carolum puerum pronepotem Stephani quinti, filium scilicet Karoli Marcelli, pro quo mortuo ipso Andrea

nuit postea Carolum Paruum, quem postea Carolum Paruum Hungari vocauerunt similiter Carolum. Obiit autem ipse A. d. mill. duc. septuagesimo tertio, et sepultus est in insula Budensi, quam apud Budam Danubius efficit.

*Ladislaus* filius Stephani quinti regnavit annos decem et septem, et occisus est per quosdam famulos suos Cumanos, et sine herede decessit. In quo deficit semen masculinum sanctorum regum. Obiit A. D. mill. duc. nonagesimo. Sepultus Chanadini.

*Andreas tertius* post superscriptos reges primus ex (parte alienigena), quem Hungari (Andream) ex Veneciis vocauerunt, qui scilicet nepos Andreae secundi, et filius Stephani filii eiusdem. Idem enim Stephanus ipsum Andream genuerat ex filia cuiusdam cuius Venetorum. Regnavit annis decem, decessit sine herede A. D. mill. trecentesimo primo. Sepultus Budae in claustro S. Johannis apud Fratres Minores. (Hic repetit codex ea quae supra leguntur de Bela quarto.)

*Ladislaus alias Wenceslaus* filius regis Bohemiae inductus fuit per quosdam Hungaros contra Carolum pronepotem Stephani quinti, filium scilicet Caroli Marcelli, pro quo mortuo ipso Andrea missum



missum fuit. Sed Karolus adhuc in tenera erat aetate, et Ladislaus regnavit tribus annis; sed propter dissensiones multas reliquit regnum et reductus fuit per patrem in Bohemiam cum maximo damno Hungarorum, et praesertim ecclesiae Strigoniensis. Regnavit tribus annis.

*Otto* dux Bauariae, post reductionem Venceslai sive Ladislai inductus fuit contra Karolum per quosdam praelatos et barones, et coronatus, regnavit annis tribus, sed postea captus spoliatus et expulsus fuit, et regnum deolutum fuit omnino in Karolum.

*Karolus* regnavit quadraginta duobus annis et genuit plures filios, qui ante eum mortui sunt; postremo vero genuit Ludouicum Andream et Stephanum. Obiit anno M. CCC. XLII. in Alba sepultus.

*Ludouicus* filius Karoli qui a patre sibi relictum regnum potenter et bono consilio rexit, defendit, ac ampliauit, et ad veras metas reduxit. Regnavit annis XLI. Heredes masculinos non habuit, sed filias genuit: Mariam Hedvigem et Katerinam. Obiit autem anno

fuit. Sed Carolus in tenera erat aetate, et Ladislaus regnavit tribus annis; sed propter dissensiones reliquit regnum, et reductus fuit per patrem in Bohemiam cum magno damno Hungarorum.

*Otto* dux Bauariae post reductionem Venceslai in Bohemiam inductus fuit contra Carolum praefatum per quosdam praelatos et barones, coronatusque regnavit annis tribus. Sed postea fuit captus et spoliatus, et expulsus, et regnum deolutum (omnino) in Carolum praefatum.

*Carolus* regnavit annis quadraginta duobus fauste et feliciter, inter optimos reges connumerandus. Qui genuit plures filios ante eum mortuos; postremo autem genuit Ludouicum Andream et Stephanum. Obiit A. D. mill. trec. quadragessimo secundo, sepultus in Alba Regali.

*Ludovicus* filius Caroli successit patri in regnum a patre sibi relictum, potentia et bono consilio rexit defendit et ampliauit et ad veras metas reduxit. Rex omnium gloriosissimus, qui ante eum regnaverunt. Quadraginta et unum annis regnavit; Dalmatiam viriliter de-



M. CCC. XLII. (sic). in Alba regali sepultus.

*Maria* filia Ludouici<sup>1)</sup> post obitum eiusdem coronata fuit corona regia. Quae fuit data in matrimonium Sigismondo filio Karoli imperatoris et regis Bohemiae. Quae quidem domina Maria regnavit quatuor forte annis, et tradidit ius suum in regno Sigismondo marito suo consensitque se viuente eundem coronari. Tandem ipsa mortua est, sepultaque in ecclesia Varadiensi.

*Sigismundus* fuit coronatus anno vigesimo aetatis suae et regnavit in toto annis quadraginta

fendit, nullum habuit heredem masculinum sed filias genuit. Mariam Hedwigam, et Catarinam. Obiit A. D. mill. trec. octuagesimo secundo.

*Maria* filia Ludouici propter ingentem amorem quem Hungari erga Ludouicum<sup>2)</sup> regem gesserunt fuit electa et coronata in regem Hungariae. Haec fuit desponsata Sigismondo filio Caroli imperatoris et regis Bohemiae. Quae quidem Maria regnavit annis quattuor, et postea tradidit ius (suum in) regnum Sigismondo marito suo. Haec dum esset mortua sepulta est Waradini. In qua defecit semen sexus utriusque sanctorum regum.

*Carolus Paruus* interim per quosdam magnates et praelatos ex Italia atque ex regno Neapolitano fuit adductus in regnum Hungariae contra Mariam reginam et eius matrem Elyzabeth; qui tamen Carolus ex voluntate earundem reginarum procuratore Nicolao de Gara regni palatino fuit in arce Budensi per quemdam nobilem Blasium Forgach occisus, et sic imperium iterum rediit in reginam Mariam, et deinde ad eius sponsum Sigismondum imperatorem.

*Sigismondus* rex et imperator fuit coronatus anno aetatis suae vigesimo, et regnavit in toto an-

<sup>1)</sup> Toldy perperam: Karoli. <sup>2)</sup> Cod. Carolum.



et mensibus nouem. Hic post obitum dominae Mariae reginae accepit in uxorem Barbaram Hermannii comitis Ciliae filiam, ex qua genuit unicam filiam Elisabetham, quam postea tradidit in coniugem Alberto duci Austriae deinde electus fuit in regem Romanorum et Bohemiae; postremo coronatus est Romae in imperatorem. Obiit autem anno M. CCCC. tricesimo septimo, aetatis vero suae LXXI, sepultus in templo Varadiensi.

*Albertus* dux Austriae gener ipsius Sigismundi regis, post Sigismundum electus fuit in regem in fauorem Elyzabeth filiae ipsius Sigismundi, uxoris scilicet Alberti, et coronatus fuit in die Circumcisionis Domini anno M. CCCC. tricesimo octauo. — — — — — in fine Octobris et sepultus est in Alba Regali.

Mortuo Alberto rege remansit Elyzabetha regina praegnans, et cum ignoraret utrum filium aut filiam esset paritura, interim praelati atque barones miserunt pro Wladislao rege Poloniae. Sed antequam ipse introduceretur, regina peperit filium Ladislaum, et contradixit electioni de rege Poloniae factae, et coronari fecit Ladislaum puerum trimestrem. Nihilominus inductus fuit.

nis quinquaginta, et mensibus nouem. Gloriosus rex, qui viriliter licet infeliciter conflixit cum Turcorum imperatore Bayazita apud Nicopolim. Hic post obitum Mariae reginae accepit in uxorem Barbaram, filiam Hermani comitis Ciliae, ex qua genuit unicam filiam Elizabeth, quam postea tradidit in uxorem Alberto archiduci Austriae. Obiit A. d. mill. quadragesimo tricesimo septimo aetatis vero suae circiter septuagesimo. Sepultus est in ecclesia Waradiensi.

*Albertus* archidux Austriae gener ipsius Sigismundi, post Sigismundum electus fuit in regem in fauorem Elyzabeth uxoris, et fuit coronatus in die Circumcisionis domini anno eiusdem mill. quadr. tricesimo octauo, et regnauit uno anno et mensibus decem. Natusque est ei filius posthumus nomine Ladislaus. Obiit in pago Nezmely A. d. mill. quadr. tricesimo nono, sepultus in Alba Regali.

Mortuo Alberto rege Elyzabet consors eiusdem remansit grauida, et dum nesciretur an filium vel filiam esset paritura, interim praelati et barones miserunt oratores pro Ladislao filio regis Bohemiae et Poloniae, qui antequam induceretur, regina peperit filium Ladislaum, quem mox paruulum trimestrem fecit coronari, et coronam



*Wladislaus* rex Poloniae, et coronatus corona alia de capite reliquiarum sancti Stephani sumpta, quibus habitis regina Ladislaum filium suum simul cum corona regia tradidit ad manus Frederici Romanorum regis et ducis Austriae. Regnavit autem Wladislaus in defensione regni annis prope quatuor, et in bello contra Turcas iuxta mare prope castrum Varna periit anno M. quadingentesimo quadragesimo quarto.

*Joannes de Hunyad* Waywoda post Wladislaum, et Ladislao puero in manibus Frederici Romanorum existente, et statu regni declinante in periculum — — — — —. Qui obiit Nandor Albae anno M.CCCC. quinquagesimo sexto, sepultus in ecclesia Albensi Transylvaniae.

*Ladislaus* filius Alberti regis circa duodecimum aetatis suae annum ereptus fuit de manibus Frederici regis Romanorum et corona regni Hungariae nichilominus per

regni secum ad Fridericum imperatorem asportavit. Nichilominus Ladislaus rex Poloniae introducitur.

*Wladislaus* Polonus postquam introductus fuisset, et corona regni non haberetur, fuit nichilominus coronatus quadam corona de capite reliquiarum sancti regis Stephani desumpta. Qui Ladislaus Polonus regnavit prope annos quatuor in defensione regni, et magna virtute conflavit cum Amurate imperatore Turchorum apud oppidum Varna. Ibi et ipse periit anno mill. quadr. quadragessimio quarto profesto solemnitatis diu Martini episcopi.

*Joannes de Hunyad* comes Bystriciensis tempore eodem post mortem Ladislai Poloni, puero Ladislao in manibus Friderici existente, fuit electus in gubernatorem regni Hungariae. Magnus et ad arma tractanda natus princeps, qui Machometem Turcarum imperatorem capta iam Constantinopoli superbum et Nandoralbam obsidentem fugavit, adeptis illi bellicis ingeniis magni valoris, quod nulli regum in Europa contigit. Obit in Nandoralba A. D. mill. quadr. quinquagesimo sexto, sepultus in ecclesia Albensi Transylvaniae.

*Ladislaus* puer filius Alberti regis circa duodecimum aetatis annum fuit ereptus manibus Friderici imperatoris; corona tamen regni Hungariae per ipsum Fridericum



eundem Fredericum retenta. Hic fuit iuuenis probis moribus pollens, pudicus, fidelis, et pro aetate prudens, coepitque regere adhuc uiuente Joanne gubernatore, et cum esset Pragae obiit anno aetatis et coronationis suae XVIII, anno MCCCCLVII.

*Mathias* rex fuit coronatus in die Coenae Domini MCCCCLXIV, et obiit Viennae feria tertia maioris ebdomadae in anno Domini MCCCCLXXX, sepultus in Alba Regali.

*Wladislaus* rex coronatus fuit anno D. M. CCCC. LXXX. Obiit autem secundo die beati Gregorii papae M. CCCC. 16. Albae Regali sepultus est.

*Ludovicus* rex illustrissimus coronatus est annorum quinque, regnauit post obitum patris scilicet Wladislai decem annis, periit autem per saeuissimos Turcos in

fuit retenta. Hic fuit iuuenis probus moribus, pudicus et pro aetate prudens. Coepit regnare adhuc uiuente gubernatore, et cum esset Pragae, appararenturque illi nuptiae cum filia regis Franciae, obiit ibidem anno aetatis suae et coronationis suae decimo octauo, anno vero Domini mill. quadr. quinquagesimo septimo, sepultus Pragae in ecclesia cattedrali.

*Matias* rex filius eiusdem gubernatoris Joannis fuit postea electus in regem et coronatus A. d. mill. quadr. sexagesimo quarto in die Coenae Domini. Qui regnauit feliciter, et in repetenda corona de manibus Frederici non destitit, donec illam rehaberet. Eidem Friderico imperatori vi et armis ademit Viennam ciuitatem, in qua etiam mortuus est, sepultus in Alba Regali ex Vienna translatus.

*Wladislaus* de gente Casimira electus postea fuit in regem et coronatus A. D. mill. quadr. nonagesimo in festo Exaltationis sanctae crucis, et regnauit in summa pace et otio ac desidia usque ad annum Domini mill. quingentessimum decimum sextum, quo anno mortuus est, et sepultus in Alba Regali.

*Ludovicus* filius eiusdem Wladislai natus est Budae A. D. mill. quing. sexto, et in ipsa aetate iuuenili coronatur. Ducit uxorem Mariam sororem carnalem impera-



expeditione Mohacsiensi anno D. quingentesimo vigesimo sexto.

*Joannes* rex in eodem festo sancti Martini coronatus est per aliquos dominos magnates regni Hungariae. Regnavit annis quatuordecim. Obiit anno Dni M.CCCCC. 40. in festo Mariae Magdalenae hora septima in oppido Zazsebes Transylvaniae, et sepultus est in Alba Regali.

toris Caroli quinti, et Ferdinandi archiducis Austriae. Regnavit iste in summo otio, et amisit Belgradum, quod fuit expugnatum per Solimanum Turcorum imperatorem A. D. mill. quing. vigesimo primo. Tandem confluxit cum eodem Solimano in campo oppidi Mohalch in festo Decolationis beati Joannis Bapt. ubi profligatus periit A. d. mill. quing. vigesimo sexto. Corpus eius in luto inuentum est sepultum in Alba Regali contra voluntatem reginae per Johannem de Zapolya.

*Joannes de Zapolya* comes Scepusiensis per magnam partem dominorum praelatorum et baronum eidem tamquam potentiori adhaerentium, fuit electus in regem et coronatus eodem A. mill. quing. vigesimo sexto in festo b. Martini. Sed quia electio eius facta fuit perfunctorie et non consentiente palatino Stephano de Bathor, ac aliis proceribus cum cancellario: ideo sequenti anno fuit expulsus per regem Ferdinandum in Poloniam; sed postea reductus armis Turcicis Solimani. Et postea in perpetuis guerris regnavit, et Budam possedit usque ad mortem. Obiit A. D. mill. quing. quadragessimo in mense Julii, sepultus in Alba Regali relicto uno filio et uxore, quae fuit filia regis Poloniae Isabella nomine.



## Notae historicae continuatorum codicis Toldyani.

Ferdinandus rex coronatus anno Domini 1527.

Item anno Domini millesimo quingentesimo<sup>1)</sup> quadragesimo primo feria secunda proxima ante festum Decollationis S. Joannis Baptistae Turcae Germanos in obsidione Budensi profligauerunt.

Item anno 1514 bellum crucigerorum<sup>2)</sup> in Hungaria surrexerat.

Item castrum Nandor Albense captum est a Turcis anno Domini 1521.

Item serenissimus rex Ludouicus profligatus est per Caesarem Turcarum in campo Mohachiense et ibidem periit anno 1526.

Item feria secunda sequente eodem anno in festo Decollationis diui Joannis Baptistae Caesar Turcarum infidelitate generosissimam ciuitatem ac imperium totius regni Hungariae Budam expugnauit.<sup>3)</sup> Tum per infidelitatem Serenissimamque Isabellam reginam filiam regis Poloniae una cum filio suo Joanne nuncupato, filio regis Joannis, Valentinum Therek comitem Simigiensem ibidem captiuauit, et in Turciam, secum retinendo, in perpetuas captiuitates duxit. Aliosque dominos magnates et barones, Fratrem Georgium Thesaurarium regni, Petrum Petroyt comitem Themessiensem, ac Vrbanum Batthyani scilicet cum praefata Serenissima regina ac filio iam dicto ad Transyluaniam ac terram ultra Tybiseum possidendam ex Buda emisit.

Item anno D. Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo imperium Romanum capitaneum suum marchionem Brandeburgensem cum maxima expeditione partim Italorum partim vero Germanorum ad expugnandam nobilissimam ciuitatem Budam, quae est totius regni Hungariae metropolis, dimiserat. Qui in profesto diui Michaelis Archangeli anni eiusdem ipsam ciuitatem obsedit; quam intra spatium unius ebdomadae oppugnatam, repente reliquit inexpugnatam, castraque amouit ab ea, ac in patriam remigrarunt.

Item anno 1543. imperator Turcarum 8-o die mensis Augusti qui dies diuo Cyriaco martyri dicatus fuit, unicum et ultimum pro-

<sup>1)</sup> quadringentesimo. cod. <sup>2)</sup> crucifixorum. cod. <sup>3)</sup> Ad latus recentior manus haec adiecit: Hoc anno 1627 sunt 82 anni ex quo Turca Budam habet. T.



pugnaculum totius Hungariae arcem munitissimam Strigonium expugnauit, sibiue vendicauit Albam Regalem arcem Walpo Soklyos et Quinque-Ecclesiensem.

Item anno Domini 1553 Caesar Turcarum et Mehemetbek terram Mathyws fewlde uocatam sibi mancipauit et deuastauit, ita ut pauperes quasi in nihilum sunt redacti.

Item anno Domini 1551 feria 5-a ante festum Natiuitatis Deiparae Virginis Georgius Seredi et Laurentius Nyari ex uoluntate et e manibus magnificorum Andreae Bathori ac Thomae Nadasdy coronam angelicam inclyti regni Hungariae duxerunt in Viennam ad manus regis Ferdinandi.

Item eodem anno regina Isabella cum filio suo Joanne Secundo ut dicunt, filio Joannis quondam regis Hungariae, a Transyluania ex uoluntate regis Ferdinandi in partes Poloniae emissus est.

Item eodem anno ex uoluntate ac commissione regis Ferdinandi per quosdam uaffros suos Reverendissimus dominus Georgius episcopus Varadiensis ac thesaurarius reginae Isabellae, morte sycaria per Hispanos et Germanos extinctus est in ciuitate Vynecz Transyluaniae.

Item anno Domini 1556 tota Transyluania a ditone et subiectione regis Ferdinandi se subtraxit, et uoluntarie sponte se potestati Turcae tradidit tributariam.

Item eodem anno Isabella iam saepius nominata una cum filio suo iam fato, ex uoluntate Caesaris Turcarum circa festum diui Lucae Euang. per duos Waywodas Transyluaniae nempe et Transalpiniae introducta est, ac a baronibus Transyluaniae honorifice suscepta est.

Item eodem anno castrum Huzt filio regis ac matri suae Isabellae traditum est.

Item eodem anno possessiones arcis Eched per Wayuodas supradictos ac Valachos deuastatae atque combustae sunt.



V.

PETRI RANSANI EPISCOPI LVGERINI

**EPITOME RERUM HUNGARICARUM.**

PETRVS RANSANVS SICVLVS EPISCOPVS LVGERINVS DIVO  
MATHIAE HVNGARORVM REGI POTENTISSIMO AC SAPIEN-  
TISSIMO VTRIVSQUE VITAE FELICITATEM.

Solent nonnulli quum discedunt ab eo, quem ama-  
uerunt, aliquid relinquere, quod sit veluti pignus quoddam  
sincerae et non simulatae charitatis officium. Quod huma-  
nitatis officium prudentissimus quisque recte semper miri-  
ficeque laudauit; et quidem non iniuria: eo namque fit,  
ut licet sit absens qui amauit, in eo tamen qui amatus  
est dulcis quaedam, et quae non facile aboleri possit, bene-  
uolentiae memoria perseuerat. Cum igitur in regia tua  
biennio ipse sim versatus, ac propterea satis animaduverterim  
inesse tibi permultas rege optimo dignas corporis animique  
virtutes, fieri profecto nequiuit quominus ad te diligendum  
vehementer allicerer. Eo deinde magis est auctus amor  
meus, quod non solum quum primum perueni in regnum  
hoc tuum, me tu et suscepisti benigne, et habuisti perli-  
beraliter; sed quamdiu etiam apud te fui, me non mediore  
honore affecisti. Iure igitur es humanissime rex meo aliquo  
dono dignissimus. Fateor tamen ingenue mihi non esse vel  
argentum vel gemmas aut aurum quo donem regem, quem  
nullus mortalium dubitat esse omni diuitiarum genere lo-  
cupletissimum. Est nihilominus Dei naturaeque beneficio  
vis tum mentis tum animi; qua sum ausus quaedam tuae  
Maiestati, exigui ingenii mei dedicare monumenta. Sed os-



tendam paucis, unde mihi incesserit ea excitandi ingenii seu cupido seu cogitatio.

Cum superioris anni hyeme Viennae agerem Tua Beatrix regina sapientissima tradidit mihi legendum codicem quemdam, quo scribitur series principum, qui ab Atila ad tuam usque tempestatem regnum in Hungaria tenuere. Cumque perlecto libro animaduertissem eam seriem non tali nitore orationis explicitum, qualem rerum maiestas et dignitas postulasset; regina ipsa hortante contuli me ad scribendum stilo paulum cultiore, quaecunque de hungarorum principum regno atque ordine libri eius auctor, non satis latina oratione prodiderat. Sum nihilominus hac usus licentia, ut nonnulla, quorum ille non meminerat, suis scriptis adiecerim; quaedam autem quae redundare, parumque ad rem valere sunt visa detraxerim. Quod eo feci, quia non fuit mihi animo prolixam scribere historiam, quod pro tui ingenii excellentia uno pene spiritu posses ipse perlegere.

Quae vero his de rebus ex eo quem dixi codice excerpta a me collectaque sunt, ea aliaque illa quae superaddidisse me dixi, adieci ego ingenti cuidam operi meo a triginta iam annis incepto et ad haec usque tempora continuato, nondum tamen edito, quod inscribo: „Omnium temporum annales.“ Eius operis sexaginta iam volumina absoluta mihi sunt. Quocirca fit ut is, qui est de rebus hungaricis, sit ipsorum annalium liber primus et sexagesimus. Quamquam et alia occurrit causa quo in condendo rerum hungararum epithomate versari decreuerim. Opere namque illo meo, cuius memini et memoravi, quae pertinere visa sunt ad regna pene omnia, quae a multiplicatione generis humani post diluuium, ad hoc usque seculum magis in orbe clara magisque celebrata fuere: solum praetermiseram regnum hoc tuum; non plane quod illud describere me piguerit. Fuit autem mihi impedimento, quod nunquam fui in Italia nactus hominem, quo docente rerum de quibus loquor veram atque exactam potuissem habere



notitiam. Me itaque in Hungaria agente, ac veniente in manus meas opusculo quod dixi; narrantibus praeterea compluribus autoritate praestantibus viris tum rerum tum locorum eiusdem tui amplissimi florentissimique regni peritis, scribendi ea laborem suscepi; quem uti par est Tuae Maiestati, et quidem non inuitus dedicaui. Quae vero a me eo libro commemorantur, ea Tu perquam maxime intelliges ex indicibus, qui ante ipsius libri initium adnotati sunt. Bene vale rex optime!

Quae vero eo libro traduntur, ex his delecta sunt auctoribus: Beatus Matthaëus euangelista. Beatus Hieronymus. Beatus Augustinus. Eusebius Caesariensis. Herodotus. Aristoteles. Strabo. Plinius. Solinus. Pomponius Mela. Vita beati Martini. Vita Leonis papae. Gesta Romanorum principum. Vita undecim mill. Virginum. *Vita beati Stephani*. Vita beatae Margaritae filiae Belae III. Elinius de origine barbarorum. Vita Caroli Magni. Ex scriptore hungariae historiae.

*Petri Ransani Siculi theologi atque historici, Lucerini episcopi annalium omnium temporum liber primus et sexagesimus feliciter incipit. Cuius sunt Indices septem et triginta.*

**Primo.** Perpaucis ostenditur tempus aduentus auctoris in Hungariam, et adnotatur oratio quam idem habuit ad diuum Mathiam Hungarorum regem, diuamque Beatricem reginam, qua oratione explicantur causae eiusce aduentus, — et afferuntur nonnulla ad ipsius et reginae laudes pertinentia.

**Secundo.** Pannonia quae et Hungaria circumscribitur iuxta veterum recentiorumque descriptionem. Declaratur praeterea unde Pannoniae et Hungariae nomen inditum sit.

**Tertio.** Describitur Danubius fluuius enumeratis celebrioribus vel ciuitatibus vel oppidis penes ipsum, a suo fonte usque ad hostia positis.



**Quarto.** Repetuntur quaedam altius de Hunnorum origine, deque ipsorum in Pannoniam aduentu; fitque mentio Atilae, qui eiusce gentis regnum in ea regione constituit.

**Quinto.** Ostenditur quale fuerit ingenium, qualesque mores Atilae.

**Sexto.** Traditur quemadmodum Atila inuasit Illyricum Liburniam Dalmatiam Italiam, sed perterritus minis beati Leonis pontificis maximi, dum rediret in Pannonias, in Norico moritur.

**Septimo.** Proditur discordasse filios Atilae ipso mortuo, venisseque ad arma, quibus totus pene Hunnorum exercitus deletus est; eiusdemque gentis potentiam ac nomen deletum penitus fuisse a Carolo Magno; venisse postea e natione Scythica denuo exercitum in Pannonias, ubi rerum potiti sunt, a quorum duce dicti sunt Hungari, et occupata ab illis regio Hungaria.

**Octauo.** Ostenduntur quo ordine ac per quos post occupatam Pannoniam, eorum rem publicam Hungari usque ad sancti Stephani regnum administrauerunt

**Nono.** Demonstratur quinam fuerint beati Stephani parentes. Fit et mentio de ipsius ortu baptismoque et regno; de rebus praeterea ab eo gestis, vitaeque sanctitate ac piissimo obitu.

**Decimo.** Fit mentio duorum, qui beato Stephano alter post alterum successerunt in regnum; deque defectione Hungarorum a religione christiana, quae mota est in catholicos homines grauissima persecutio.

**Vndecimo.** De quatuor regibus Andrea, sub quo Hungari ad Christi cultum redierunt; Bela sub quo Hungari denuo defecerunt a Christo, sed ab ipso rege deleti sunt; Salomone; Geisa; deque rebus quas ipsi gessere.

**Duodecimo.** De beati Ladislai regno, deque rebus ab eo felicissime gestis; de insidiis quoque sibi a Salomone nepote paratis, quibus tamen diuina ope ereptus est. De ipsius praeterea Salomonis religiosa morte.

**Tertiodecimo.** De regno Colimani, sub quo Hun-



gari multa grauia. Deoque et hominibus molesta perpessi sunt; cum multa inique et crudelissime gesserit.

**Quartodecimo.** De Stephano huius nominis secundo rege, qui cum crudeliter et impie omnem vitam transegisset, de tamen occulto mortalibus consilio pie diem suum obiit.

**Quintodecimo.** Fit mentio sex virorum, qui ordine regnum tenere: Belae huius nominis secundi, Geisae huius quoque nominis secundi, Stephani huius nominis tertii, Belae huius nominis tertii, Emerici huius nominis primi, et Ladislai huius nominis secundi.

**Sextodecimo.** De Andrea rege secundo, cuius fuit filia beata Elisabetta; deque Bela quarto, ac de beata Margarita eius filia, cuius vita eodem Indice scribitur.

**Decimoseptimo.** De Ladislao quarto, qui duxit uxorem filiam Caroli secundi regis Siciliae, cuius vita cum esset infamis, excommunicatus est ab apostolicae sedis legato.

**Duodeuicesimo.** De tribus regibus: Andrea tertio ac Vladislao Bohemo, qui et Ladislaus; Othoneque Bauaro; sub quibus Hungari in duas factiones diuisi arma inter se contulerunt.

**Vndeuicesimo.** De Carolo huius nominis primo rege, qui regnum et tenuit prudentissime, et auxit gloriosissime.

**Vicesimo.** De Lodouico huius nominis rege primo. Parenti suo non modo similis, sed etiam par, cum patrum regnum sua virtute conseruauerit et auxerit.

**Primo et vicesimo.** De Sigismundo Romanorum imperatore, et Hungariae rege huius nominis primo.

**Secundo et XX.** De Alberto huius nominis primo et Romanorum imperatore.

**Tertio et XX.** De Vladislao huius nominis rege sexto, sub quo Hungari ad maximas inter se venere discordias, quibus ipsa Hungaria plurimum afflictata est. Fit et mentio IOHANNIS CORVINI, cuius opera opeque et armis Hungari defensi sunt contra impetus irruptionesque Turcarum.



**Quarto et XX.** Ostenditur Joannem Coruinum fuisse constitutum summum hungararum rerum administratorem qui magistratus Hungarorum lingua dicitur Vaiuoda. Et memorantur res quas fortiter prudenterque gessit, dum eiusdem gereret magistratum.

**Quinto et XX.** De Vladislao rege Alberti filio; fitque mentio laudis, quam ipse Joanni Coruino impendit.

**Sexto et XX.** Explicatur memorabilis illa victoria, quam de Turcis assecutus est apud Nandoralbam, quae et Belgradum. Fit et mentio Joannis Capistrani viri religiosissimi.

**Septimo et XX.** Narratur quemadmodum oppugnato a Turcis Belgrado virtute Joannis Coruini, obsessi validissime restite-  
(rint. Excidit folium unum, et desiderantur Indices a vigesimo septimo usque trigesimum tertium). XXXIII. (— — — — ad Transylvaniae laudem pertinentia.

**Quarto et XXX.** Traditur *Mathiam* recuperasse rebellantem Moldauiam, vicisse et Stephanum proditorem, gessisse praeterea regem ipsum feliciter bellum aduersus Bohemos, et ad extremum eundem fuisse electum Bohemiae regem a Bohemis catholicis.

**Quinto et XXX.** Ostenditur *Mathiam* vicisse Casimirum Poloniae regis filium, tentantem sibi occupare regnum Hungariae; fuisse et ab eodem victum regem Poloniae; tandemque (inter) ipsos reges pacem fuisse compositam.

**Sexto et tricesimo.** Demonstratur *Mathiam* expugnasse Turcarum castellum omni rerum genere munitissimum Sabacet nomine; gessisse et eum bellum aduersus Fredericum Augustum, quo euasit victor, redactis in suam potestatem Austriam Stiriamque atque Carinthiam. (sic)

**Septimo et tricesimo.** Fit mentio eximiorum operum quae in compluribus regni sui locis et erexit magnifice, et exornauit splendidissime.



## Index I.

Anno salutis humanae octogesimo octauo supra millesimum et quadrigentesimum missus ego sum a diuo Ferdinando Magnae Siciliae rege ad diuum Mathiam regem atque ad Beatricem reginam Hungariae legatus. Quibus vero de causis fuerim eo missus, aliqua ex parte explicatur oratione, quam ad eosdem principes habui; cuius hoc est exemplar.

Veni ad tuam praestantissimam maiestatem Mathia Hungarorum potentissime rex, atque ad te Beatrix omni virtutum genere ornatissima regina: missus inquam sum ipsius<sup>1)</sup> verbis multa vobiscum communicaturus. Ceterum cum ex mandatis quae sum expositurus aliquot huiusmodi sint, quae locum postulant secretiorem, ea tunc explicanda reseruo quum locum ipsum tempusque idoneum mihi pro vestra prudentia constitueritis. Nunc quoniam ornatissimus hic locus, ad quem video permultos regni huius amplissimi optimates, aliosque viros magna auctoritate praestantes conuenisse, merito videtur exigere, ut apud vestras Maiestates a me saltem breuis habeatur oratio: fortasse rem pergratam vobis fecero, si ea quae palam commemorari possunt, et a legationis meae munere nequaquam abhorrent, in medium attulero.

Veni igitur Christianissime rex, primum ut te et reginam uxorem tuam Ferdinandi regis Alfonsique, liberorum eius natu maximi Calabriae ducis, nomine salutarem ac viserem. Deinde ut utrique vestrum congratularer pro re quidem honestissima, de qua non multo post verba faciam. Tertio ut tuam Celsitudinem optime rex prosequerer honore, etsi non tali, quali pro tuarum et virtutum excellentia, et gestarum rerum magnitudine dignus es; tali saltem, quali te prosequi mei ingenii mediocritas poterit.

---

<sup>1)</sup> scilicet: Ferdinandi regis.



I. Vt autem quod primo loco me dicturum proposui exequar, facile profecto tibi persuadere potes rex prudentissime, me non sine prouidentissimo consilio visendi tui gratia a Neapolitano regno non solum in Hungariam, verum etiam in Austriam usque venisse. Nemo vir prudens inficiari unquam posset, te a Ferdinando humanissimo benignissimoque rege non admodum diligi amari coli observari venerari. Neque enim vel cogitari vel dici vel fieri potest, ut bonus rex regem bonum, ut vir fortis ac prudens fortem prudentemque; vir ut amicus amicum, christianus princeps principem christianum; ut socer generum, ut pater filium, ut homo cui insunt multae variaeque virtutes hominem multis ac variis virtutum generibus eminentem non omni complectatur beniuolentia. Affirmare praeterea nullus, nisi mentis inops posset, quin pater filiam, eandemque reginam, reginam inquam regni huius amplissimi, et eandem tot Aragonum Hispanorumque regum ac reginarum exortam genere, eandem praeterea feminam et aetate florentem, et forma insignem; eandem denique maternam, pudicissimam, aliarumque virtutum omnium, quibus decet decoratas esse reginas, excellentia praestantem, non ingenti prosequatur charitate. His itaque aliisque multis, quas nimis longum esset afferre rationibus et causis Ferdinandus rex adductus, supra quam est cuiquam credibile cupit videre et te rex inclyte, et tuam istam thori consortem amantissimam. Et si facile fieri potuisset, ne dubita, fuisset plane vel mari vel terrestri itinere ad te profectus: quo te, tuaeque coniugis dulcissimo conspectu frueretur. At non tam locorum magna distantia, quam maliuolorum hominum maxima prauitas ei fuit impedimento, quominus ad vos visendos saltem usque Seniam, quae ciuitas tuo paret imperio, adnauigasset. Satis enim ei esse intractarum triremium ceterorumque generum nauigiorum, nemo est qui nesciat. Non igitur vel difficultas itinerum, vel labores atque discrimina quae potuissent occurrere, sed Italorum discordiae, Turcarumque minae, ac multipli-



ces ceterorum hostium insidiae ipsum a pleno charitatis proposito auerterunt. Idem tibi velim persuadeas de Alfonso Calabriae magnanimo duce. Venisset et ipse profecto, saepeque numero ad vos visendos venire decreuit. Ceterum difficillimis bellis a multis iam annis implicitus Italia excedere, sine maximo paterni suiue regni detrimento, minime potuit. In quot autem et qualibus quantisque vitae periculis versatus sit tribus proximis annis, non tantum omnis Italia, sed omnis etiam Europa, magnaue pars Asiae atque Aphricae satis superque compertum habuere. At vero ipse magno animo, virtuteque illa, qua mortalibus omnibus antecellit, insuperabilis uniuersis undequaque occurrentibus hostibus restitit. Nec obstitit tantum, sed multos etiam eorum ex paterno regno fugauit, multos armis vicit, complures qui rebellauerant pristino sui parentis imperio parere coegit; nonnullos debita poena multauit. Sed his de rebus alias, et quidem familiarius volo tecum regina inclyta, quae tanti viri es soror, meminisse. Nunc ad id unde parum excesseram redeo. Ad hoc tuum regnum, prudentissime rex, Calabriae ducis aduentum multae et quidem amoris plenae causae cohortabantur. Earum erant hae praecipuae: contracta ab ipso tecum iam pridem affinitas; tuae multae et magnae ad coelum efferendae virtutes; rerum praeterea a te gestarum celeberrima fama, quae per omnem terrarum orbem longe lateque vagatur, quae etiam apud christianas omnes nationes singulari laude celebraris. Adducebatur insuper ut regnum hoc tuum peteret, ob incredibilem in suam sororem amorem. Non enim fuerunt ipse et regina ex patre tantum, sed ex utroque parente, hoc est, ex Ferdinando rege et Isabella regina nati, et apud eosdem regali luxu regioque sumptu educati; qui una a primis annis in eadem regia creuere, atque una multos vitae annos transegere. Cur igitur Alfonsus frater eius, cum sit vir humanissimus, suorumque mortalium omnium amantissimus, non debuit iure optimo moueri flagrantissimo suae sororis desiderio? Veruntamen quod



corporum praesentia neque Ferdinandus rex, neque Alfonso Calabriae dux facere potuerunt, voluerunt per me fieri; ideoque me huc usque miserunt, qui utriusque vestrum maiestatem, ipsorum et nomine viserem, et verbis salutarum. Quam ob rem benigno vos, pro humanitate vestra animo, placida mente iucunda fronte sereno vultu meam hanc visitationem salutationemque suscipite. Persuadeatis autem vobis, ipsum Ferdinandum, liberosque eius omnes ac nepotes et neptes eo esse et fore animo in utriusque vestrum maiestatem; ut non solum vos ament incredibiliter, sed ut seipsos etiam regnumque et fortunas eorum vobis offerant, atque ita ut eis pro vestro arbitrio, ut vestris rebus utamini. Deinde orant (quamquam eis hoc non est ambiguum) ut vos quoque eos sincere ametis, sitque inter vos mutua et sancta atque in Spiritu sancto firmiter fundata dilectio. Id si omni studio feceritis, manebit in vobis gratia Dei et domini nostri Jesu Christi, qua decorari solent mentes animique illorum, qui sunt non simulata, sed sincera coniuncti benivolentia. Satis iam de visitatione et salutatione. Transeo hinc ad ea quae dicere secundo loco decreueram.

II. Neque paucis neque facile explicare possem sapientissime rex, quanto gaudio quantaque laetitia sit affectus Ferdinandus rex eiusque liberi nepotesque omnes, Joanna praeterea eius uxor, atque Hippolita dux, seu ut vocitat vulgus, ducissa Calabriae ob affinitatem, quam cum Joanne Galeaccio, illustrissimo Mediolanensium duce nuper contraxisti. Matrimonium namque, quo Blanca eius soror Joanni filio tuo sociata est, causa erit, ut inter praeclarissimos Hungarorum Aragonumque ac Mediolanensium principes, et qui estis hodie superstites, et natos natorum et qui nascentur a vobis, sit et agendarum omnium gerendarumque rerum summa consensus, et mentium atque animorum neque interrumpenda, neque unquam dissoluenda coniunctio. Nouum profecto charitatis vinculum ex eo connubio tribus iis, quarum memini familiis coelestia nu-



mina addiderunt. Si diuino huic consilio audiveritis, consenseritis acquieueritis; nemo vos ab ea honestissima coniunctione separabit. Nullae mortalium vires potentiae vestrae poterunt unquam resistere. Tres hos potentatus, vinculo quo dixi ita concordēs, nullorum principum arma vel terrebunt vel infringent, vel dissoluent vel dissipabunt. Vos interim obnixè hoc agite, hoc etiam diligenter vigilantè que curate, hoc omnium industria atque solertia efficite, ut tam honeste coepta coniunctio perseveret diutius. Ne facile praebete aures illis, qui solent inter fratres seminare discordias. Est enim id septimum inter ea, quae sacra scriptura affirmat Deum maxime detestari. Et ut beati apostoli Pauli verbis utar: Nolite locum dare diabolo. Dignaue laude est illa diuinæ quoque scripturae sententia, quam ego rei, de qua verba nunc facio accommodare possum aptissime: Funiculus triplex difficile rumpitur. Triplex funiculus vos estis, de quibus in praesentia loquor, qui nunquam plane rumpemini, si, quod vestram decebit prudentiam, eritis non simulate, sed vere et sincere concordēs. Hoc vos ante omnia decebat, ut nequid mente teneatis quod distet a labiis. Sit vobis idem velle idemque nolle; sin aliter feceritis heu magnanimi principes! mihi credite suas partes interponet pessimus sathanas, qui nauabit operam ut corruatis, dissipemini infringamini dilabamini. Recte igitur dixit Masanissa Numidarum rex apud Crispum Salustium historicum eloquentissimum: Concordia paruae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Illudque et quidem non inepte venit in mentem, quod et breuius et multo sapientius ait humani generis saluator in euangelio secundum Lucam: Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur. Et ut tandem ad id veniam, cuius gratia fuerunt haec altius a me repetita, tibi fortissime princeps ob eam affinitatem, cuius paulo ante meminì, optimi regis mei, suique amantissimi filii Alfonsi primogeniti nomine gratulor. Felix profecto es, qui Joannem filium tuum praestantissimae Italarum omnium familiae sociasti. Faciat te Deus



auum, pulera et fortunata prole felicem. Gratulor et ipsi Joanni, cui Blanca nobilissima, pulcherrima pudicissima puella nuptui tradita est. Sint <sup>1)</sup> oro liberi qui talibus sint <sup>2)</sup> ornati virtutibus, qualibus praediti et sunt et fuerunt gloriosissimi principes, quorum genere ipsi exorti sunt. Gratulor et Blancae sponsae quamquam est absens, quae matrimonio est destinata filio Mathiae Hungarorum regis, ut potentissimi, ita et inuictissimi. Spero equidem eum talem fore, qui a parentis virtutibus nequaquam sit degeneraturus. Gratulor et tibi o Beatrix regina sapientissima, cui singulari quodam immortalis Dei dono data est ex eo connubio tam nobilis filia. Gaudebit quidem atque laetabitur Blanca honestissimo contubernio tuo; sub tua laudatissima disciplina vitam aget adeo obedienter, ut semper morem tuae sit gestura voluntati. Tu vero admodum delectaberis dulci consuetudine sua. Ipsa praeterea te perinde ac matrem quae eam genuisset, semper et colet et obseruabit. E diuerso tu eam diliges et amabis non minus, quam si ipsam ex tuo utero edidisses. Est enim mitissimo ut perhibent ingenio, eisque ornata moribus, ac decorata virtutibus, ut non immerito tuo sit amore et quidem vehementissimo digna. Itaque ipsa te, tu ipsam semper habebis in deliciis. Faustum sit eiusce matrimonium, felix sit ea affinitas, fortunata sit ea coniunctio cum corporum tum praecipue animorum. Id certo Ferdinandus rex, id liberi id nepotes, id alii omnes qui sunt ei cognatione affinitateque ac familiaritate coniuncti, mire et incredibiliter exoptant. Piis praeterea assiduisque precibus Dei supplicant benignitati, ut ipsi sponsus et sponsa, eorumque posterii bene semper in hac vita beateque uiuant, eaque cum laeta senecta peracta aeternam, quae erit in altera vita beatitudinem consequantur. Explicatis iam iis quae ad salutationem et gratulationem pertinere sunt visa, hinc ad postremum coeptae mihi orationis locum me confero.

<sup>1)</sup> signant. cod. nullo sensu. <sup>2)</sup> sunt. cod.



III. Huic parti felicissime princeps! satis ego facerem, si tuae eminentissimae maiestati honorem et reuerentiam capite ac poplite flexo tantummodo exhiberem. Idque non solum hodierno die atque hoc in loco facerem, verum etiam semper et ubique, quotiens tuam istam viderem maiestatem, tuumque nomen celebrari audirem, cum sit celebratu honoratuque ac veneratu dignissimum. Nec id solum efficerem iussus a rege, a quo sum ad tuam celsitudinem missus; sed iussione quoque regis regum et domini dominantium, per quem (teste scriptura) reges regnant. Voce namque beati Petri apostoli ipse locutus: Regem inquit honorificate. Eiusce rei causam reddidit beatus apostolus Paulus: Propterea, quod omnis potestas a Deo est. Ipse namque in terris constituit reges, condit regna, distribuit imperia. Redeo iam ad id quod dicere coeperam. Si inquam modo quem explicui te honore tantum prosequerer, mihi nequaquam facerem satis. Satisfaciam igitur flagrantissimo desiderio meo, si aliquot praestantium virtutum tuarum laudem vel breuiter attigero. Breuibus inquam, quoniam si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas, omnesque mei artus humana voce sonarent, nihil dignum tuis virtutibus dicerem, fieretque, ut multo facilius huius orationis principium quam finis inueniretur. Tu igitur pro humanitate praecipua tua, non dedignaberis si pauca de tuis amplissimis laudibus attingam. Quin supplex oro, ut versari me in breui commemoratione quarundam excellentium virtutum, quibus te mortales pene omnes concelebrant, patiaris.

Magnis te possum extollere laudibus, primum quidem ex clarissimo atque antiquissimo genere, quandoquidem maiores quibus exortus es a veteribus Romanis originem sine dubitatione traxerunt. At vero non ab illis orti sunt, qui ex humili abiectoque ordine in ciuitate romana fuere, sed ex patriciis atque primariis, id est ex ordinis senatorii viris, quorum summa fuit apud conciuēs auctoritas, magnaue in urbe potentia, et virtus haud medio-



critter commendanda. Romanus itaque es genere, Romanus es origine, Romanum te ac Latinum hominem nos Itali asserimus affirmamus praedicamus. Nec id quod nos asserimus tui Hungari inficiantur. Ea igitur causa est cur multi latini generis homines in Hungariam veniunt, quo videlicet te visant, et veluti quoddam nouum e coelo terris datum numen venerentur. Vno quippe consensu Itali omnes qui nouerunt genus unde tu exortus es, astruunt se intueri in praestantissima ista maiestate tua veluti Troiugenam ac Romulidum aliquem ex illis veteribus, qui per haec tempora Pannoniis imperas, quibus olim Romani multis seculis imperitauerunt. A Coruinorum enim familia (ut praeclaris progenitorum tuorum constat documentis) defluxisti. Quam rem cum alia multa, quae missa nunc facio demonstrant, tum vero hoc potissimum ostenditur argumento: quod corui imagine familiae tuae insignia condecorantur, qualia perhibent veterum fuisse Coruinorum. Quod fieri non permisissent atavi tui, nisi fuissent conscii vetustae clarissimaeque successionis maiorum, ex quibus tam inclytam posteritatem nouerant emanasse. Testimonio quoque esse potest Coruina, quae est Danubii insula, quam cognati tui ditone per diu tenuere. Quis obsecro dubitat eam insulam a tuis Coruinis clarum accepisse cognomen, ex quo tempore Magnus Flavius Constantinus instaurata urbe Byzantio Constantinopolitanum construxit imperium. Duxit tunc secum permultos e Romana nobilitate viros, quorum unicuique postea suam dedit prouinciam, ut quisque illam regeret, atque in Romani imperii fide teneret. In prouincia autem quae forte tunc Coruinis obuenerat, fuit insula cuius est habita mentio, cuique ex se illi cognomen indidit. Ab ea tuus paternus proauus discessit, quamquam insula sua erat; tradidit autem imperium suum cognatis suis. Fecit id vir prudentissimus quod animaduertit fore ut paucis post diebus insula in Turcarum potestatem redigeretur. Habitationis suae locum delegit Transiluaniam, ubi maluit privatus viuere, quam insulae princeps videre patriam pa-



rere hostibus christianae religionis. Es deinde non mediocri laude efferendus, quod tibi fuerunt parentes magnis ornati virtutibus. Primum autem de Elisabetta matre tua perpauca quidem, sed quae fuerint mentione digna memorabo.

Quis unquam digne laudare eam posset, cum quicumque ipsam nouerunt, non dubitem affirmare nullam se nouisse nostro seculo feminam ipsa pudicitiorem prudentiorem, denique christiana pietate insigniorem. Sed ut ceteras eius virtutes praetermittam, eo prudentia eius praecipua ostensa est, quod ipsius ope et opera consilioque ac mira, et viro potius quam femina digna diligentia, ad regnum peruenisti. Quamquam nulli mortalium est ambiguum, quin futura tua virtus diuinae maiestati cognita ante fuerit, qua effectum est, ut constituto a sua prouidentia tempore, commerueris ad regii fastigii culmen exaltari. Quod autem benignitati Dei de te placuerat, antequam mater suo te utero ederet, ipsa postea tacta inspirataque diuinitus executata est. Qua re fit, ut affirmari vere possit te fuisse et coelesti miraculo, et virtute tua, et tuae matris prudentia ab aduersariorum manibus, carcere quo tenebaris ereptum, ad regie dignitatis fastigium euectum. Nonne obsecro viri clarissimi, maximi facienda ac immortalibus ad coelum usque efferenda est laudibus femina, quae sua prudentia tantum valuit, ut causam praebuerit non plane mediocrem, qua eius filius fuerit coronam regni huius nobilissimi consecutus? Satis iam de matre dictum mihi fuerit: transeo ad patris tui laudes, immortalitate certe, id est futuris omnibus seculis celebrando dignissimas.

Scilicet notissimum est apud plerosque rerum seculi nostri scriptores Joannis Huniatis, quem occidentalium nationum vulgus solet cognominare Joannem Blancum, celeberrimum nomen. Is cum alia multa egregia rei bellicae a se edita facinora, tum praecipue eo summam sibi gloriam vendicauit, quod magnam vitae suae partem in gerendis bellis pro tuenda re christiana consumpsit. Aduersus Turcas cultorum Christi improbissimos hostes saepe dimicando,



quotiens nostri homines fuerunt salutifero eius consilio usi, totiens illos vertit in fugam, vel profligauit, variisque fudit cladibus. Nec facile aut paucis memorare nunc possem, quot milia ex ipsis nostri eo duce interfecerunt. E tam multis autem praeliis, quae inter ipsum et Turcas commissa sunt, illud nunc venit in mentem, quod anno christianae salutis quadragesimo quarto supra millesimum et quadringentesimum, inter Hadrianopolim et Danubium commissum est. Adolescentulus ego tunc eram, quum in urbe Florentia et in Eugenii quarti Romani pontificis curia Joannis patris tui maxime celebrari nomen audiebam, omniumque ore laudes tunc eius efferebantur in coelum, propterea quod ipso duce christianus exercitus supra quadraginta millia Turcarum interemisset, tria vero et viginti millia cum ingenti, et quidem omnis generis praeda cepisset.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Famam anno 1444 per Europam sparsam de felici expeditione exeuntis anni 1443 intelligit, qua Wladislaus rex cum duce Joanne de Hunyad comitantibus Juliano Cardinali legato pontificis et Georgio Rasciae Despota Bulgariam invaserunt, urbem Sardicam. sive Sophiam diripuerunt et incenderunt, profligatisque in reditu Turcis, et capto duce eorum Karabego, magna per totam Europam gloria celebrabantur. Fuscem rem gestam narrat Bonfinius „quemadmodum a quibusdam Corvini militibus accepit, qui vulnera etiam eo bello suscepta ostenderunt.“ — „Octies huc usque cum hoste conflictum esse testantur, qui huic expeditioni affuere.“ Dec. III. lib. V. Bellum hoc per brumam usque ad finem eiusdem anni protractum; nam copiae christianorum teste eodem auctore 24-a Decembris adhuc ultra Sophiam urbem ante Portam Traiani consistebant: „Peruenere ad alterum (Thraciae aditum) pari arte praeclusum pridie Natalis Jesu Christi.“ Idem scriptor commemorat gloriam regis et Joannis hoc bello partam: „Secundum regis Corvinique triumphum, qui per universam paucis diebus Europam effusus est — — — congratulatum simul et hortatum legationes undique properabant. In primis Eugenius pontifex maximus, item Veneti et Genuenses etc. legatos in Pannoniam misere.“ lib. VI.



Occurrit et illud magnum et atrox cruentumque certamen commissum apud Belgradum, quod oppidum tuae est ditionis, Taurinum a veteribus geographis appellatum. Venerat cum formidabili, hoc est cum ducentorum milium armatorum exercitu magnus ille Turcarum tyrannus cui Mahammetto erat nomen, qui terrori tunc erat uniuersis nationibus christianis. Venerat inquam ad Hungariae fines, ut expugnato Belgrado, totum hoc quod tu possides clarissimum regnum suae ditioni subigeret. At vero strenuissimi prudentissimi christianissimi tui Joannis auspiciis nostrorum haud numerosus exercitus, ingentis illius multitudinis partem cum illorum duce, soluta Belgradi obsidione fugauit, partem cepit, partem occidit. Et praeter inaestimabilis pretii praedam, quam tui Joannis milites domum adduxere, amiserunt illi tormenta omnia variae magnitudinis, bombardas ea vulgo nominamus, aliasque bellicas machinas, quibus et castellum, quod dixi, se expugnare, et ceterum Hungariae regnum occupare sibi posse sperauerunt. Cetera parentis tui mira et gloriosissima facta nunc praetermitto, tum propterea quod nimia esset huius orationis prolixitas, tum vero quia alio in loco ea ad memoriam posteritatis iam pridem literarum mandauit monumentis. Parumne tibi id videtur ad tuam laudem immortalemque gloriam pertinere, parentem te habuisse, qui fuerit omnium temporum ducum fortissimus, atque omnium mortalium ore, ob res prudentissime felicissimeque gestas celebratissimus? Sed hae fuerunt parentis tui, viri acceptissimi virtutes, ac gestarum a se rerum laudes amplissimae, in quibus tu fortunatus filius fortunatum parentem imitatus es. Explicabo dehinc quaedam, quae fuisse tibi propria satis constabit; quibus videlicet proprias tibi laudes, ingentemque gloriam apud mortales comparasti.

Proprias equidem dixi, quoniam illae quas supra commemoravi, etsi ad tuam laudem aliqua ex parte pertinere, non fuisse ipsas omnino tuas affirmauero. Namque praeclaros habuisse progenitores, constat bonorum impro-



borumque hominum esse posse commune. Tuum vero esse affirmo, quod innata excellenti atque versabili ingenii tui dexteritate adpisci in hac vita tibi studuisti. Adeptus quippe tibi es sapientiam, qua virtute diuinarum rerum calles notitiam, causas aliarum rerum altissimas atque supremas persaepe contemplari perfacile potes. Adeptus tibi es scientiam, qua pro tui ingenii excellentia potes multa tum de coelorum et siderum, tum de aliarum rerum naturis prompte disserere. Adeptus es prudentiam, cuius tribus illis partibus, quas ei philosophi tribuunt, in cunctis tuis negotiis uteris diligentissime. Id autem compertum satis habent, qui vim tui nouerint ingenii, quando quidem et praeteritarum rerum nulla te capit obliuio, et eas quae instant, etiam minutissimas acute exacteque consideras, et eas quae futurae sunt solerter atque industrie prospicis. Nihil dico de arte, quam Aristoteles et philosophi eius sectantes disciplinam, docent esse rationem eorum, quae manu fiunt. Quis nescit eiusce virtutem fuisse te adeo eminenter adeptum, ut nihil fieri manu possit, cuius studio, ingentium praesertim ac splendide exstruendorum aedificiorum, et quae sunt magni regis magnificentia digna, non maxime delecteris? Opera ipsa a te magnificentissime partim resecta, partim reparata, cum essent vetustate vel diruta vel collapsa, partim ab imis erecta fundamentis, quod dico, manifeste testantur. Nihil vel simulate vel per assentationem loquor. Affirmant qui viderunt erexisse te quibusdam in locis inexpugnabiles arces; alibi hortos, quorum consitarum arborum est ordo pulcherrimus; alibi Deo dicatas aedes omni quo decet ornatu splendidissimas. Non facile numerari possunt pretiosae multiplicis generis variique coloris vestes, vasaque argentea et aurea, quae diuinarum rerum usui dedicasti. Audiui praeterea superioribus diebus dum Viennam versus iter ad te facerem, constitui nunc a te bibliothecam ingentem, et omni ex parte eximie mirificeque ornatam, in quam aiunt multa milia codicum non vilis neque contemendi pretii, id est qui sint perpulcris



exarati literis intusque et extra, te et velle, et iam coe-  
 pisse congerere. Nihil dico de domus tuae pretiosissima  
 superlectile, quae tanta talisque est, ut cunctos qui eam  
 vident atque considerant, menteque pensitant, non in me-  
 diocrem adducat et stuporem, et admirationem. Accersisti  
 praeterea e multis Europae locis, ex Italia praecipue mul-  
 tarum rerum opifices, id est fabros tum lignarios caemen-  
 tarios, tum argentarios, sculptores praeterea atque pictores,  
 a quibus tibi transscriptores librorum fierent, multorum  
 generum opera, quae tibi et voluptati dum viuis, et vita  
 excedenti essent maxima tuae magnificentiae monumenta.  
 His quas dixi virtutibus, quas peripatetici philosophi vo-  
 cant intellectiuas, viri sapientes, qui quanti sis recte pen-  
 sitauere, perhibent te cunctos qui toto orbe sunt principes  
 absque ulla controuersia superare. De virtutibus iam quae  
 dicuntur morales verba faciamus. Tua est iustitia, cuius  
 virtutis splendor est maximus, et ex qua boni viri nomi-  
 nantur teste oratorum principe Cicerone: tantae virtutis  
 splendor adeo in te nitet, ut non dubitent omnes, qui te  
 rege vitam in Hungaria egerunt, ipsius cultorem te esse  
 praecipuum, quandoquidem ius suum nunquam alicui mor-  
 talium denegasti. Tua est fortitudo, cuius virtutis vi res  
 arduissimas saepenumero et agressus es, et felicissime con-  
 fecisti. Nam quae unquam gessisti bella adversus quos-  
 cunque hostes, de quibus non sis gloriosam adeptus vic-  
 toriam? Ceterum his de rebus paulo post pauca quidem,  
 sed quae erunt mentione admirationeque digna commemo-  
 rabo. Tua est magnanimitas, mansuetudo modestia tempe-  
 rantia humanitas urbanitas veracitas. Quarum virtutum  
 quaenam sint munera, in ethicis quidem ab Aristotele  
 erudite ac locupletissime traditur; sed ipsorum numerum  
 habere te et usum, qui te nouerunt uniuersi praedicant.  
 At vero quamuis morales eiusmodi virtutes a more di-  
 cantur; ideoque posse ipsas assequi plerisque mortalium  
 congruat, in rege tamen qui bene sapienterque vitam in-  
 stituit, qualem te esse constat, splendere solent multo et



excellentius et laudabilius. Nec putes me praetermisisse liberalitatem, quae virtus maxime tua est. Ob eius enim merita, et plurima mirificorum operum exempla, tuum nomen a mortalibus ubique non mediocriter extollitur, celebrissimeque commendatur. Quippe si qui principes tempestate nostra ob liberalitatis opera claram sibi vindicauerunt famam, tu cunctis semper anteponearis, cum non modo nomine, verum etiam re ipsa omnium illorum unus magnificentissimus et beneficentissimus et sis et habearis. Tuae inquam sunt omnes quarum memini intellectus morisque virtutes, cum eas tu felici quodam naturae dono, usu tibi comparaueris. Tuae inquam sunt, sed Beatricem reginam quae adest, ut thori consortem; ita et complurium quas attigi virtutum sociam ornatissimam habes. Vt enim tu eis quae sunt regi digna virtutum laudibus cumulatus es; ita et ipsa illis omnibus redimita decorataque et insignis est, quas decet habere reginas eminentissimas. Eas ipsa mirae ingenii sui magnitudine, optimisque suae vitae usa magistris, quos prudentissimi parentes ei ab ineunte aetate adhibuerunt, acquisiuit. Ipsa igitur virtutibus cum corporis tum animi quae sunt dignae reginis: tu eis quae dignae sunt regibus decoraris. Quam ob rem ita vos videtur natura sociasse, ut multarum virtutum muneribus sitis pene pares. Vnde fit, ut plerique non immerito ambigant uter vestrum praeferrere debeat cum in ceteris quarum mentionem feci virtutum generibus, tum in eis praecipue quae constant fide ac pietate sacrisque ceremoniis quae christianae sunt religionis, cuius supra quam dici potest, constat vos esse seruantissimos. Sexus igitur inter vos est tantum non decentium vos rerum virtutumque disparitas. Sed missa haec facio. Ea mihi sunt hic tamen paucis explicanda, quae et tua solum sunt, et plane virilia, utpote quae te rex fortissime et vere regem, et virum esse strenuissimum ostenderunt.

Quum primum ad regni fastigium diuina (ut dixi) prouidentia sublimatus es, nonnulli e principibus propinquis



regni tui finibus tuam illam fortunam perquam moleste ob inuidiam tulere. Cum itaque bellis te ingentibus, atque a multis partibus lacesserent, quo tibi regnum adimerent, tu (etsi adolescens nouellusque rex tunc eras) illis tamen obuiam magno animo processisti, aliquotque commissis certaminibus tandem tua virtute superasti; ut multa et quidem celebria loca, quae illorum parebant imperiis tuae ditioni subegeris, atque in hanc diem (illis inuitis) gloriose possideas. Bosnenses itaque et Valacchi, Polonique atque Bohemi, qui regni tui fines olim inuaserant, indeque ulterius ingressi variis excursionibus omnia infesta fecerant, animaduertentes quantum armis opibus ac virtute valeres, mouere contra te bella desiere. Tu efferatam eorum audaciam adeo compressisti, ut perterriti se nunc domi contineant, tuoque audito nomine reformident. Nihil dico de bello quod tibi fuit cum Frederico Augusto, quem vulgato verbo imperatorem vocitamus Romanorum. Illud nihilominus toto est orbe notissimum, te aduersus tantum principem prospere glorioseque dimicasse. Eius quod dico testis est Vienna, pulcherrima atque opulentissima ciuitas, omnisque Austria, quam regionem pene totam nuper tuis parere imperiis, quamuis bello difficili coegisti. His ita explicatis reliquum mihi esset si daretur longius ad dicendum tempus, particulatim referre, quae et qualia quotiensque felici exitu gesseris bella aduersus Turcas; quam atrocia praelia cum ea gente commiseris, quotiens ipsos profligaueris, quotiens eos a regni tui finibus perpuleris; denique quot ex eis milia interemeris. Illud vero non est omnino mihi silentio praetereundum, cum sit ubique vulgatissimum; te non solum eam gentem armis persaepe vicisse, verum etiam fecisse tuae ditionis aliquot eorum castella et oppida, quae tu tenes adhuc, Deoque bene iuuante in posterum tui tranquille possidebunt. Ex omnibus autem, quae supra in multiplices laudes tuas explicui, hoc praecipuum tuae virtuti gloriaeque tribuitur, quod inter principes christianos tu solus es qui et scis, et audes vincere Turcas. Sunt



quidem permulti nostrorum rei militaris scientissimi duces, ignari nihilominus quemadmodum cum ea gente res ipsa gerenda sit, ideoque saepe obuenerit, ut illi cum nostris belligerantes fuerint victoriam assecuti. Ceterum e nostrorum hominum numero Alfonsum Calabriae ducem, de quo supra habita mentio est, semper excipiam. Ex multis enim praeclarisque victoriis, quas diuersis temporibus in Italia est adeptus, illa fuit omnium maxime memorabilis, quam apud Hydruntum anno abhinc septimo assecutus est, quos non tantum multis certaminibus superauit, sed ad deditio- nem quoque compulit, mira quadam, et nunquam alias visa vel audita solertia. Eo inquam post te excepto, tuum est, et eorum qui tuis militant auspiciis Turcarum nisibus obuiam ire. Eam ob rem in tua virtute tuisque conatibus, ac formidanda potentia sita est spes totius reipublicae christianae. Tu veluti murus inexpugnabilis, munitumque ac validissimum es propugnaculum, quod efferatae rabiei gentis impiae atque truculentae (ne in Italiam, inque ce- teras occidentalium cultorum Christi regiones irruat et sae- uiat) obiicitur. Te constituit humanae salutis auctor veluti arcem ac turrim fortitudinis a facie inimici christianae pietatis. Namque praeter te, Turcarum duces, et copiae principum ducumque nostrorum, formidant neminem. Quae res est causa praecipua, ut cunctae christianae nationes benignissimum Deum pro te tuisque omnibus, proque amplissimi regni tui felicitate, sine ulla intermissione pre- centur. Vno animo unoque consensu atque uno ore, Dei in te potentiam clementiamque glorificant; animi tui magni- tudinem admirantur, Dei collaudantes magnam ineffabilem- que virtutem qui hac nostra tempestate, atque in tanto rerum discrimine rei christianae consuluit, malens videlicet ut hungarici regni administratio ad te, quam ad aliquem alium, in hac tanta ecclesiae suae necessitate perueniret.

Audisti iam Mathia rex humanissime, tuque Beatrix regina praestantissima tres aduentus ad vos mei causas honestissimas. Quippe venisse me ostendi ut Ferdinandi



regis, suique natu maximi filii Alfonsi Calabriae ducis verbis vos salutarem ac viserem; utque pro nouo matrimonii vinculo congratularer; postremo ut quo possem, vos prosequerer honore, utpote habita mentione multarum eximiarum virtutum quibus praeditus est uterque vestrum, multarumque laudum, quarum gratia vos a mortalibus magna cum admiratione celebramini. Supplex autem diuinam precor benignitatem ut vos, ad quorum celsitudinem missus ego sum, ac eos qui me misere, et diu cum laude non ficta seruet in hac vita, et in altera felicitatem praestet sempiternam. Amen.

## Index II.

### Quo describitur Pannonia.

Regionem illam Europae quam hodie appellamus Hungariam, Pannoniam veteres nominarunt. Quam autem ob causam, aut per quae tempora mutatum sit illud priscum nomen, quo usi olim sunt vetusti poetae et oratores atque historici geographique clarissimi, tum nostri tum graeci, fiet satis superque perspicuum ex iis, quae infra memorabuntur. Ante tamen quam ad ea ostendenda me conferam, non Hungariae, sed Pannoniae vocabulo utar. Quae his clauditur regionibus: Norico, cuius partem non exiguam hac aetate vocitant Austriam; Magna Germania, quam vulgus cognominat Alemaniam; Iacigibus, quae germanica natio et ipsa est, sed vulgo verbo corrupto Iaz se ipsi appellant; Dacia, cuius pars ea una est, quae dicitur Transilvania, altera quam nuncupant Valachiam. Clauditur praeterea superiore Moesia, cuius quoque nomen mutatum est, Serviaque, atque aliqua ex parte Rascia ab incolis dicitur. Postremo concluditur Alpibus, quae a Caruante monte incipientes, partim occidentem, partim meridiem versus, continuatis iugis ad fines usque Illyrici protrahuntur. Talibus itaque Pannonia conclusa locis his



mundi plagis a Claudio Ptolomaeo circumscribitur. Ab occasu limites habet Caecium montem, partemque Caruntis, qui mons ipse Caecio continuatur. A meridie partem Istriae, partem maximam Illyridis, utpote ad flexum usque Danubii, iuxta quem Savus fluvius scinditur. Ad septentrionem montes Noricos decursumque Danubii, quousque Savus in illum irrumpit. Ab oriente similiter habet Danubii partem usque ad eandem Savi in eundem anem irruptionem. Placere equidem mihi fateor eam Ptolomaei descriptionem, propterea quod suis illis nobilibus tabulis ponit ante oculos veterem, hoc est suorum temporum Pannoniam, cuius regionis nos, non modo iuxta veterum, sed iuxta etiam tempestatis nostrae descriptionem, hoc loco tradere notitiam instituimus. Non prius eam tamen, iuxta tanti geographi ordinem explicabo, quam ea afferam, quae de Pannonia ipsa mentionem habentes tradiderunt alii nonnulli terrarum descriptores illustres, illo vetustiores. Id autem facio eo consilio, ut pernoscant qui opus hoc legerint, quantum sit discriminis inter illa quae sunt hodie, et quae in usu olim fuerant apud veteres, locorum Pannoniae nomina.

Omniū primus adducatur Strabo, quem constat Tiberii Caesaris aetate claruisse. Is operis sui de situ orbis libro septimo facta mentione de locis Illyricis, quae prodidit esse Istro Alpibusque contigua, intraque Italiam Germaniamque iacentia, quae ait incipere a lacu Vindelliciorum ac Rhetiorum, aliis deinde nonnullis adiectis, ad Thraces et Galatas Dacosque pertinentibus: Reliquam inquit plagam Pannonii tenent. Hi autem usque ad Sergesticam et Istrum, tum ad septentrionem tum ad orientem, ampliusque ad reliquas partes porriguntur. Pergensque idem auctor: Sergesta inquit urbs est Pannoniorum, ubi annes plures confluunt, omnes sane navigationibus idonei arxque in gerendo contra Dacos bello natura perutilis. Aliis praeterea haud satis a locorum peritis probanda, de Savo Dravoque fluminibus interiectis: Penes inquit Sergesticam, castellum est Siscium, et Sirmium situm in via



quae ducit in Italiam. Pannoniorum autem populos ait esse Breucos Andizetios, Piruscas Mazeos Desitiatas, quibus Baton imperavit. Esse ait et conventus alios ignobiles in Dalmatiam usque distentos. Esse et Sardicos ad meridiem procedenti. Praetera multa alia scripsit de plaga Illyrica, tum montana tum maritima. In altioribus inquit et amplioribus locis sunt montanae planities, quas Pannonii tenent in austrum usque ad Dalmatas Ardiosque porrectae; a septentrione Istro terminantur, ab oriente vero Scordiscis sunt proximae, qua Macedonum Thracumque montes sunt. Haec habuit Strabo quae, describens sui seculi Pannoniam, diceret; obscure quidem et rem ad vivum nosse cupientibus, haud satis utilia. Ostendendum igitur hinc est, quid de eadem regione scripserit, longe sane melius magisque perspicue et plenius Plinius noster, Strabone recentior; cum constet ipsum annis post illum duobus ferme et sexaginta, hoc est Traiani Romani principis temporibus floruisse. Tot enim a Tiberii morte, cuius aetate claruit Strabo, ad Traiani usque imperium (ni fallor) colliguntur. Qui namque naturalis historiae libro tertio posteaquam memoravit ea quae fuerunt ei demonstranda de Noricis, quorum regio est Pannoniae contermina: habitantur inquit inde glandiferae Pannoniae, qua mitescentium Alpium iuga per medium Illyricum a septentrione ad meridiem versa, molli in dextra ac laeva devexitate considunt. Pauloque post: Quae inquit ad mare spectat Adriaticum appellatur Illyricum supra dictum. Ad septentrionem Pannonia vergit, finitur inde Danubio. In ea coloniae: Aemona et Siscia. Annes clari et navigabiles in Danubium influunt: Dravus ex Noricis montibus violentior et Savus ex Carnicis alpiibus placidior, centum et XV. M. P. intervallo: Dravus per Seretes Serapilos Jasos Sandrizetes; Savus per Colopianos Breucosque. Populorum haec capita: praeter Arivates Asali Amantes Belgites Carthari Cornacates Eranisci Hercuniates Latonici Oseriates Varcicani. Mons Claudius in cuius fronte Scordisci, in tergo Taurisci.



Insula in Savo Metubaris, amnicarum maxima. Praeterea amnes memorandi Colapis, quae Culpa hodie dicitur, in Savum influens iuxta Sisciam gemino alveo insulam ibi efficiens quae Sergestica appellatur. Alter amnis Bacuntius in Savum Sirmio oppido influit, ubi civitas Sirmiensium et Amantinorum. Inde ad XLV. M. P. Taurinum ubi Danubio miscetur Savus. Supra influunt Valdanus et Vrpanus, et ipsi non ignobiles amnes. Pannoniae iungitur provincia quae Moesia appellatur ad Pontum usque cum Danubio decurrens. Huc usque Plinius. At fuerunt ex antiquis geographis, qui Pannoniae longe minores terminos quam Strabo Ptolomeusque tribuerint; quippe qui ipsam intra Savum et Danubium claudi prodidere. Appianus autem Alexandrinus sui operis libro VI. tradit Pannoniam a graecis auctoribus sub Illyrico olim fuisse comprehensam. Quam vero magnum fuerit apud veteres ipsum Illyricum ostensum mihi fuit supra Svetonii verbis libro, quo de regno scripsi Romanorum. Sed afferendum est Appiani testimonium, cuius haec sunt verba: Ab Istri ortu ad mare usque Ponticum Illyrii fines esse voluerunt. Adiectis deinde paucis, quibus de Pannoniae nomine ac magnitudine habuit mentionem: Paeones inquit ingens natio circa Istrum per longum accolens ad Japodum populos supra Dardanos protenditur. Paeones autem a graecis, a romanis Pannonnes dicuntur. Sed de his dicendum mihi est infra paulo plenius, ubi de Pannoniae nomine meminero. Sed redeo ad Ptolomaeum, ut detur a me notitia, quonam ordine per sua tempora Pannonia describebatur. Totam eam regionem divisit in duas partes; unam superiorem, alteram inferiorem Pannoniam cognominavit. Superiorem hoc pacto circumscripsit. Habere eam dixit limites illos quos supra ostendimus; cum de universa Pannonia loqueremur; hoc est: ad occasum Caecium montem partemque Caruantis, qui mons disternat Noricum ab Istria, et a parte quadam Illyridis; a meridie partem Istriae et Illyridis; a septentrione partem Noricorum montium, partemque Danubii



quae est a Caecio monte, usque ad locum ubi Arabo sive Raba amnis in ipsum influit; ab ortu solis inferiorem Pannoniam, per lineam quam ipse constituit ad utriusque portionis divisionem. Teneri dixit superiorem Pannoniam a parte septentrionis ab Azalis et Citnis; a meridie sub Norico a Latobicis, et ortum versus a Vartianis. Intra eos versus occidentem ait esse Boeos, et sub his Coletianos. Versus autem orientem Lassios et sub eis Oseriates. Civitates has esse sub Danubio sitas: Juliobonam Carnum Phlexum Chertubalum Bregaetium. Procul autem a Danubio civitates has: Salam, Petobium Sabariam Rhispiam Vinudriam, Bononiam Andaietionum Novidunum Scarabantiam Moroelam Lentudum Corrodunum Sisciam Olimacum Vallinam Bolentium Sogoram Sisopam Visontium Praetorium Magnianam. In littore Italiae sub Norico vero Emonam.

Alteram hoc est inferiorem Pannoniam hoc pacto circumscribit. Ab occasu terminari eam ait superiore Pannonia, a linea quam a scissione Arabonis, fluvius ut ante dictum est ipse constituit, quemadmodum suis ostenditur tabulis. A meridie partem Illyridis, quae est a dicto limite ad flexum usque Danubii iuxta quem scinditur Savus fluvius. A septentrione et oriente partem Danubii, quae est a scissione Arabonis usque ad scissionem Savi. Hanc autem Pannoniae partem, hunc situm habere docuit. Post Arabonem esse ait Danubii flexum, qui fit iuxta Curtam oppidum. Maxime deinde septentrionalia Danubii, post eiusdem amnis conversionem iuxta Acumincum oppidum; postea eiusdem conversionem iuxta oppidum Rhitium nomine. Eandem Pannoniam teneri ait ab his populis: in locis quidem occidentalibus ab Amantinis sub quibus Hercuniates, post eos Andiantes, post hos Breucos. In locis vero orientalibus maxime septentrionales esse Araviscos, maxime autem meridionales Scordiscos. Has civitates sub Danubio positas: Curtam Salvam Carpim Aquincum Salinum Lussonium Lugionum Teutoburgium Cornacum Acumincum Rhitium Taurinum. Procul ab eodem amne has



civitates: Berbim Serbinum Luollum Certissam Mursellam Cibalim Morsonam Vacontium Mursiam Coloniam Bassianam, Salim Tharsium Sirmium.

Ostensis iam Pannoniae limitibus, quos ei constituerunt prisca terrarum descriptores, explicatisque nominibus situque vetustarum civitatum, nostrae tempestatis nihil mihi de eius limitibus dicendum est; iidem enim sunt hodie quae Ptolomaei seculo fuerant. Quamquam non est ambiguum Pannonum reges, suos excessisse fines, atque ad alias quasdam nationes eorum imperium propagasse, ut infra suis in locis, quantum satis fuerit ostendetur. Verum cum aliae quaedam gentes ex Europaea Sarmatia profectae, utpote Hunni, prius pulsis praesidiis Romanorum, quorum ditionis tunc erat subactisque Pannonibus; postea Hungari deletis a Carolo Magno Hunnis, ut infra Deo bene favente demonstrabo, Pannonias ipsas postea longe lateque tenuerint; ac propterea ab illis et mutata sunt multa prisca locorum nomina, et per plures conditae civitates: videtur adhortari locus ut explicentur nomina novorum tum populorum tum civitatum quas ibi condidere. Fateor me non ea vel cura vel diligentia totas peragrare Pannonias, ut ea de re, quam hoc loco scripturum me polliceor, nimis exactam possim dare notitiam; mihi tamen ita ipse consului, ut ex Hungaris hominibus aliquot mihi adhiberem, qui essent locorum periti, a quibus acciperem ac perdiscerem nomina situmque locorum de quibus institui meminisse.

Hungarorum hominum quadruplex omnino ordo est. Pars eorum Deo dicati viri, utpote sacerdotes sunt, quorum antistites praecipua apud nationem pollent auctoritate. Alii rei inserviunt militari, quorum qui ex armorum usu aliquod egregium facinus ediderunt, ii duces sunt copiarum, sub quibus ingens e vulgo delecta manus stipendia faciunt. Multi nobilitate generis clari barones vulgatissimo nomine dicuntur, qui ex maiorum successione suis vel vicis vel arcibus et castellis vel oppidis dominantur. Ceteri in ex-



colendis agris vitam consumunt. Opifices, hoc est qui dant operam mechanicis artibus, si et multitudinem incolarum, et regionis consideres amplitudinem; perpaucos inveneris. Longitudo quippe atque latitudo terrarum quas Hungarorum rex Mathias hodie possidet tanta est, ut quoquo verum tetenderis, non minus octingentis millibus romanorum passuum iter confeceris. Ceterum qui sunt, qui aut mercatura, aut artium quas dixi usu vivunt, eorum plerique germanici sunt non ungarici generis homines. Nam propter propinquitatem regionum, innumeri e Germania mortales transmissio Danubio in Hungaria, propter soli eius feracitatem, habitandi sibi locum iam pridem elegerunt. Quo fit ut germanus cum hungaro mixtam vitam degens, habitu moribusque magna ex parte conueniat, utque alter alterius lingua loquatur. Universam Hungariam in pagos conventusque dividunt, quos cum appellent comitatus, fit ut et tota ipsa regio in comitatus divisa sit. Ipsi conventus a civitatibus nomen accepere. Sunt autem comitatus complurimi, numero LXXIII. Eorum multi a dextra, multi a laeva Danubii positi sunt. Sed eos primum qui a dextra, deinde qui sunt ad laevam enumerabo.

Sirmiensis dictus a Sirmio, antiquissima et hodie episcopalis sedis dignitate praestanti civitate. Patria fuit et Probi Romani imperatoris et beati Demetrii martyris. Antiquae urbis apparent adhuc multa vestigia, quibus quae fuerit ipsius magnitudo, satis declaratur. Praeest Sirmiensi ecclesiae Stephanus Crispus, natione Hungarus, vir bonarum artium studiis apprime deditus, mira praestans humanitate aliarumque multarum virtutum excellentia liberalitate praesertim.

In eadem regiuncula comitatus est Valconiensis ubi est oppidum Villacum<sup>1)</sup> nomine dignitate et ipsum episcopali nobile. Eius antistiti non pauca superioris Moesiae, id est Serviae olim parvum; quae amissa sunt propterea,

---

<sup>1)</sup> vylak. nota marginalis.



quod seculo nostro Turcae totam eam regionem sibi occupavere.

Post eum comitatus est Poseganensis a Posega appellatus oppido, qui intra Savum Dravumque diffunditur.

Baromiensis<sup>1)</sup> multis fertilibusque exornatus vicis est, et in eo Peuce civitas opulenta, et nobile totius regionis emporium, a veterum Peucinorum reliquiis aedificata, quam nunc a quinque sacris aedibus Quinque-Ecclesias urbem cognominant. Eius antistes est Joannes vir doctus, et in primis humanus, generisque nobilitate praeclarus.

Batensis a Bata nominatus, qui vicus quidem est sed nobilis, ob situm in eo monachorum ordinis sancti Benedicti monasterium, quod fama illustrissimum est, propter evidens miraculum, quo in sacra hostia, sanguis cum portiuncula quadam Christi carnis videtur; ut affirmant innumeri qui viderunt.

Simigiensis a Simigio dictus, qui pagus est; in cuius agro posita olim fuit Segesta vetustissima civitas, cuius geographi veteres meminerunt. Estque idem ager frequens vicis, quos tenent accolae lacus, qui dicitur Balatonis. Est is lacus mire piscosus, tantaque est amplitudine, ut ducentorum M. P. eius ambitus esse feratur.

Tolnensis a Tolna, quod oppidum situm est penes Danubium; et illic tria sunt vetusta monasteria, quae pagis compluribus circumfunduntur.

Albensis ab urbe quam vocant Albam Regalem nomen accepit; quae cum in paludosis sit posita locis, redditur expugnata difficilis. Est illic basilica olim a beato Stephano condita, ut infra suo loco narrabitur, eo nobilissima, quod in ea conditur eiusdem regis ac beati Emerici filii eius venerabile corpus. Ubi iacent et alia complura corpora eorum qui post istum, regnum in Hungaria tenuere. Nobilissima quoque est, quod illic reges et reginae Hungariae solent regni diadema suscipere. Auget eam hoc

<sup>1)</sup> Baroniensis n. m.



tempore divus Mathias opere superbissimo, tanto videlicet erecto artificio atque aedificii pulcritudine, ut non satis sit illud semel et iterum sine admiratione vidisse. Dignum profecto, quod quibusvis totius orbis basilicis possit iure conferri. Statuit in ea condere pari opere sepulcrum ubi mortuus sepeliatur. In eodem comitatu est Colocia<sup>1)</sup> archiepiscopali dignitate memoratu digna civitas. Nomen civitatis inditum est a Colotianis, qui Ptolomaeo teste, populi intra Savum et Danubium, haud procul a Petovio sedes olim habuere.

Huic e conspectu ad occasum est Vesprimiensis dictus, quae et ipsa episcopali dignitate insignis est; eo praeterea praeclara, quod ad eius antistitem spectat coronare Hungariae reginas. Zaladiensis quoque comitatus est cuius memini ad Balatonis lacum. Eius ager vinetis abundat, ex quibus fiunt vina laudatissima. Usque ad Dravum fluvium protenditur is comitatus. Inde autem via est Zagabriam versus, episcopali sede civitatem nobilem.

Illud est hoc loco mentione dignum: quidquid agrorum est inter Dravum et Savum cognominari ab incolis Slavoniam, corrupto tamen a vulgo vocabulo ut nonnulli autumant; Savoniam enim absque literis *l* et *e* pronuntiandum fuit a Savo fluvio. Id si verum esset Savones non Slavones, et Savoniam non Slavoniam dicendum nobis esset. Ea autem regio hoc sibi vendicavit claritudinis, ut ab ipsa nomen acceperit universa Dalmatia cum ibi conterminis Illyride atque Liburnia; quae uno vocabulo ab omnibus paene orbis nationibus, vulgo ita vocitantur, qui vero ipsas tenent, Slavones. Qua in regione est Modrusium, cuius civitatis episcopus est Christophorus natione Ragusiensis, vir pontificii iuris peritus, et in primis humanus; ideoque divae Beatrici Hungarorum reginae incredibiliter carus, mihi autem magna coniunctus benevolentia.

A Modrusio intervallo M. P. XXX fit iter Seniam

---

<sup>1)</sup> Colocia in Albensi comitatu. n. m.



civitatem, eo nobilem, quod caput est comitatus ab ea dicti Seniensis<sup>1)</sup> et sedem habet episcopalem, et quod maritima est, quod praeterea per eam est ad ceterum Hungariae regnum aditus. Hungarorum enim rex Mathias tantum habet imperii, ut hinc Adriaticum illinc Sarmaticum attingat mare. Et ab ortu quidem parum distant a mari Pontico terrae, quas possidet.

Redeo ad id unde excessi. In eodem de quo dicebam Zaladiensi comitatu est et Citonii peninsula<sup>2)</sup>, ubi mira piscium multiplicis generis abundantia. Est autem illic nobilis basilica ab Andrea rege (uti suo loco memoratur) condita.<sup>3)</sup>

Pilisiensis Danubio propinquat. Montana regio est, et tota vitifera; cum tamen solum eius sit sulfureum fit, ut vina quae fert sint et ipsa sulfurea. E multis eius agri locis aquae manant calidae, quarum nonnullae humanis aegris corporibus salubres sunt. Ad eum comitatum pertinet utraque Buda, vetus et nova penes Danubium positae. Dicta fuit illa, ut nonnullis placet a Bleda Atilae regis fratre, vel (ut malunt alii) a Budinis vetustissimis Scytharum populis, qui cum Atila et Bleda Pannonias domuere. Illi tamen verius mihi sensisse videntur, qui Bledam non ex suo nomine vocasse Budam affirmant, sed ex vocabulo legionis Budinorum, qui sub ipso militaverunt. Et ab illa veteri ea quae dicitur nova Buda nomen accepit. Deleta namque illa vel bello vel alio eventu adversae fortunae, reliquiae civium inde excedentes commigraverunt ad locum, qui illis est visus natura munitior; ubi posuere sedes, ac paulatim aedificando eo perducta est res eorum, ut urbem tandem, etsi parum amplam, pulcram tamen nobilemque condiderint, quam ab antiqua patria nominaverunt. In illa veteri Buda, quae vicatim hodie habitatur, basilica quae-

<sup>1)</sup> Senia et eius nominis comitatus. n. m. <sup>2)</sup> Tichony, Thiconium. n. m. <sup>3)</sup> Caput Andreae regis ex Thiconio peninsula translatum per Thomam Nadasdy in Sarwar eum omni ornatu regio. n. m.



dam est aedificiis opereque atque artificio superba; digna profecto, quae non in illo loco pene deserto, sed in quavis egregia urbe fuisset erecta. Praeest ei praepositurae titulo Franciscus cognomine Mester, natione hungarus, qui bonarum artium et humanitatis praesertim callet notitiam. Ideoque et in soluta oratione, et in componendis carminibus eius est elegans ingenium. Nec est praetermittendum quod ibidem est virginum ordinis beati Francisci monasterium, cuius magnitudini, aedificiorumque magnificentiae, ac pulcritudini multitudinique pretiosarum rerum divino pertinentium cultui, pauca puto esse in orbe christiano eiusmodi virginum coenobia, quae huic possent anteferri. Supra eandem Budam in eadem Danubii ripa exstant adhuc vetustissimae cuiusdam urbis vestigia, referentia magni muri ambitum: Sicambria is locus vocitatur. Sunt qui credunt fuisse ei nomen inditum a Sicambriis Germaniae olim populis, quorum auxiliaria quaedam legio Romanorum imperatorum temporibus in Pannonias profecta sedes ibi posuerat. Sed et Franci ab ipsis quoque Sicambriis se habuisse originem affirmant, uti supra habens regni Francorum mentionem ostendi. Haud multo supra penes quoque Danubium est Vicegradum oppidum quondam nobile; hodie ubi situm antea fuerat aedificata est a divo Mathia regia, veteribus quibusvis eius generis aequanda aedificiis. Imminet ei loco mons, in cuius vertice posita est arx, ubi asservatur diadema illud apud Hungaros sacrum, quo solent eorum reges coronari.

Supra Zaladiensem est comitatus Castriferrensensis dictus ab oppidulo quod Castrum ferreum nominatur, cum sit expugnatum difficile. Norici portiuncula est. Illic est Sabaria vetusta olim civitas, cuius apparent adhuc multa vestigia, inter quae spectantur columnae eximiae magnitudinis. Ibi natus est beatus Martinus, ubi et transegit pueriles annos, quanquam in Italia peregit adolescentiam.

Hunc attingit Semproniensis appellatus a Sempronio contermino ei comitatui oppido, quod est in Austria,



Nova civitas nomine. Sunt in eo aliquot munitissima oppida, et pagi quamplurimi.

Comitatus Sancti Georgii<sup>1)</sup> ad quem pertinet oppidum nomine: Castrum antiquum.

Si illinc Danubium versus iter fiat occurret Jauriensis nominatus a Jaurio civitate, quam alluit Arabon fluvius, ita nominatus a veteribus, sed Raba dicitur hodie ab accolis, qui eodem in loco Danubium ingreditur. Haud procul ab Jaurio mons est quem nonnulli vocant Pannonium,<sup>2)</sup> et ab eo cognominatam dicunt fuisse Pannoniam; quod docti viri non probant, quippe qui non Pannonium, sed Pannonum genitivo casu dicendum malunt, ut sit intellectus: Pannonum hominum esse ipsum montem; non ab eo nomen, quando quidem parvi momenti res est, tam amplam regionem assumpsisse. Alii Sacrum montem appellant propterea, quod in eius vertice situm est monasterium in beati Martini honorem a beato Stephano Hungarorum olim rege conditum. Vinetis is mons vinoque ornatur. Ipsum vero monasterium tenent monachi ordinis beati Benedicti. Archiabbatia appellatur ab Hungaris, cum eius abbas dignitate universis qui sunt in Hungaria abbatibus antecellat, nec ulli subsit, nisi Romano pontifici.

Conterminus est huic Comariensis, cui a Comaro oppido vocabulum inditum est. In eodem comitatu est Tata nobile olim oppidum, sed bellorum assiduitate sublatum, non tamen adeo desertum, quin sint hodie pagi pulcherrimi circa loca vetustae arcis propinqua. Arcem autem ipsam iam solo aequatam miro opere divus Mathias intra paucos annos instauravit, quod suo in loco nos Deo bene adiuvente attingemus, ubi et memorabimus a quo is locus acceperit nomen.

Strigoniensis hunc attingit dictus a Strigonio totius Hungariae metropoli, quam ab Istro et Grono fluvio. qui urbem praeterlabuntur cognominatam nonnulli putant, prima ex Istro detracta litera.

<sup>1)</sup> Mosoniensis n. m. <sup>2)</sup> Sanctus mons Pannoniae. n. m.



Hactenus de comitatibus qui sunt ab una Danubii parte utpote dextra ab illius fonte secundo fluvio navigantibus; eos qui sunt a laeva hinc enumeremus. Quamquam non comprehenduntur in descriptionibus illis quae supra allatae sunt veterum Pannoniarum seu mavis veteris Hungariae dicere: ea namque a magna Germania Danubio magna ex parte olim disternabatur. Quidquid igitur terrarum trans Danubium possident Hungarorum reges, id totum eorum esse constat; aucti postea ab illis fines imperii.

Et iam ab eo qui nominatur Pestensis a Pesto oppido sumamus initium, praecipue quia rerum copia redditumque locus abundantissimus. Eo quoque est is locus apud universos Hungaros fama inclytus, quod in eius agro eligi reges Hungariae consueverunt.<sup>1)</sup> Quo enim tempore eligunt sibi regem, fieri solet totius regni et optimatum et capitum populorum conventus adeo frequens, ut numerus convenientium saepe excedat summam octoginta milium armatorum hominum, quorum pars maxima equis vehuntur. Et quod est admiratione dignum, nihil ulli deest quod ad victum abunde pertineat.

Supra Pestensem ad M. romanorum passuum ferme centum abest Poseniensis, nomen habens a vetusta urbe, Pisonium ut credo aliquando ab aliquo e romanorum Pisonum familia nominata. Sed vulgus postea i mutata in o litera, pronuntiavit Posenium. Perpulcrum oppidum est et fertilitate agri ob Danubii vicinitatem insigne. In monte qui imminet sita est arx munitissima, in qua puteus, et amplitudine et altitudine memorabilis.

Supra Posenium est Nitriensis episcopali sede praeclarus. Quem sequitur Barsiensis, ubi est Revichium oppidum.<sup>2)</sup> Trinchiniensis ei conterminus est nomen habens ab oppido illic sito. Ibi quoque est oppidum quod dicitur Ternavia.

---

<sup>1)</sup> Rakos campus electionis. n. m. <sup>2)</sup> Nunc Revistye Váralja vicus exiguus 200 animarum.



Ad Hontensem inde venit ubi est Satum<sup>1)</sup> non ignobile oppidum. Hunc excipit Newgradiensis, cuius soli ubertas in primis commendatur ab Hungaris. Vatia illic est, quae antiquitus clara civitas fuit, eo praecipue, quod ei nomen inditum est ab Otone<sup>2)</sup> viro apud veteres illustri, qui Pannonibus olim imperavit.

Ad regionem Marmatiam antiquitus dictam nunc appellatam Marmarusam Gomeriensis comitatus secedit. Effoditur illic aes ferrum argentum.

Zoliensis ibidem est a vico quodam denominationem assecutus, in cuius agro fodina est ferri laudatissimi. Zolienensis quoque in eadem regione est, qui nomen accepit ab oppido cuius ager feracitate argenti et auri insignis est.

Sarosiensis qui fines spectat Russiae a castello quodam in eo posito nomen accepit.

Scepusiensis dictus a Scepusio oppido. Poloniae conterminus est.

In montibus prope Marmarusam est Vngensis, quem nonnulli putant accepisse nomen ab Hunnis, sed a vulgo corruptum fuisse vocabulum Vngensem pro Hunnensem pronuntiante. Id autem ego neque affirmo, neque refello.

Sub eisdem montibus in campestribus locis est Hewesiensis ubi est Agria civitas episcopali sede nobilis. Ei praest Urbanus antistes thesauri Mathiae regis conservator fidelissimus. Vir acuto ingenio multis praeditus virtutibus, prudentia praesertim quae tanta ei inest, ut ob eam idem rex ipsum et amet incredibiliter, et secretorum suorum det esse participem.

Borsodiensis deinde, ubi Diosiur castellum non ignobile. Trans Tibiscum fluvium est Zabolciensis et Zolnecensis. Tibisci autem accolae sales fossiles e Marmarusa ubi sunt eius rei fodinae complures convehunt in Danubium, unde ad alia regni Hungariae loca transportantur.

Haud procul hinc comitatus est Bihoriensis, ubi est

<sup>1)</sup> Ság. <sup>2)</sup> Vacua ab Ottone restaurata. n. m.



Varadinum oppidum illustre basilica, in qua beati Ladislai sacrum corpus sepultum est. Praesidet ei ecclesiae Joannes Boemus, vir acuto ingenio, bonarumque disciplinarum studiosus, ac multarum rerum experientia summus, ideoque divo Mathiae percharus, cuius iussu functus est honestissimis legationibus, quarum gratia magnum fuit honorem et gloriam consecutus. Struebat Varadini arcem inexpugnabilem, cuius ingens murus turresque, et idoneae tanto operi mansiones, satis plane ostendunt magnitudinem animi conditoris. Sacram cuius est antistes aedem ditavit pretiosis tum sacerdotum vestibus, tum argenteis vasis, libris praeterea magnis, quos vocant graduarios et antiphonarios, omni ex parte adeo mire exornatos, ut magni ac ditissimi alicuius regis dicata Deo dona possint non immerito iudicari.

Bekensis deinde recedit ad Transilvaniam, et conterminus est Orodensis, qui nomen accepit ab Orodio oppido ubi est Beli regis qui fuit caecus sepulcrum. Huic vicini sunt Zirindiensis et Torantalensis; et penes Tibiscum fluvium Chionradiensis et Chanadiensis.

Temesiensis vergit ad superiorem Moesiam, dictus ab oppido Temeso nomine, quod frequentibus circumdatur vicis.

Bachiensis huic conterminus est episcopali dignitate nobilis.

Bodrogensis in Danubii ripa, nomen habet a castello quod illic est.

Zagmariensis fodinarum auri et argenti maxime abundans, per montes extenditur. Est ibi oppidum quod Rivulum minerarum<sup>1)</sup> vocitant.

Beregensis habet oppidum Muncacium nomine in monte altissimo positum. Conterminus est ei Vgochiensis. Hi autem comitatus sunt in Marmatia, quam regionem dixi ego supra vulgum appellare Marmarusam.

---

<sup>1)</sup> Rivulum dominarum intelligit, alias Nagy-Bánya.



In Moraviae, quae regio nomen accepit a Mora fluvio, et Poloniae finibus Liptoviensis est dictus ab urbe Liptovia; et Arvensis et Turocensis. Cui regioni conterminus est Abawywariensis, ubi est urbs Cassovia et Eperies. Sed illa nobilitate huic antecellit, est enim totius regionis fama inclytum emporium.

Zempliniensis hunc attingit, in cuius agro Hungari in Pannonias venientes dicuntur primas sibi sedes posuisse.

Marmarusiensis, ubi salis fodinae sunt, et quinque oppida, compluresque vici.

Transilvaniensis, ubi sunt septem Saxonum civitates. Ex his hae sunt insigniores: Saxonia Cibinium Brassovia, Bistricia Colosvarum; quod Sarmatorum lingua interpretatur: Scholasticum oppidum. Quo in loco natus est divus Mathias cui nos librum hunc dedicavimus. Alba Julia praeterea ubi fodinae salis; et Scytulorum patria, quos populos, verbo corrupto, ut nonnulli autumant, appellant Siculos.<sup>1)</sup> Aiunt enim eos a Scythis habuisse originem. Sunt nihilominus qui vetustiora repetentes putent Siculos revera eos dicendos esse, non Scythulos. Eius namque gentis genus referri volunt in Siculos qui tenent Siciliam insulam in extremis Italiae locis positam. De qua supra multis in locis, ubi postulare res visa est, habui mentionem. Perhibent igitur eius nationis quandam legionem sub Atila olim Pannoniarum domitore militasse. Ut enim ex aliis compluribus orbis terrarum regionibus, ita ex Sicilia multi convenere mortales ad exercitum Atilae, ut mererent sub duce, quo nullus tunc erat toto orbe praeclarior. Illo postea extincto ingentique illius exercitu maxima ex parte, ut idoneo in loco infra memorabitur, deleto, aliis alio contententibus, Siculorum legio in hoc de quo nunc est mentio loco sedes sibi locavit. Commixti deinde ob iuncta matrimonia cum finitimis, mutata nationis suae lingua aliam acceperunt, illaque in hanc diem usi sunt. Genus homi-

<sup>1)</sup> Septem castra Zekeolyok. n. m.



num ferox, ita mutato patrio solo, imbutique alienigenarum gentium moribus exasperati sunt, qui ex Sicilia fuerant oriundi. Regi nulla pendunt vectigalia, nisi aliquando domitum bovem, nullo eis imperatum edicto, sed a rege exoratum, quasi id regni aliqua urgeat vel necessitas, vel utilitas.

Memini iam non modo Hungariae, sed totius etiam regni regum Hungarorum, comitatum; nec ignoro et alios esse complures, quos non invitus missos facio. Quamvis enim perquisiverim perquam diligenter; nunquam tamen nactus fui hominem, qui mihi totum eorum numerum ordine retulisset. Post haec in laudibus regionis quam possident Hungarorum reges paucis libet versari.

Hungaria mira soli hubertate, rerumque humano victui tum utilium tum necessariarum copia a natura donata est. Multae illic auri argenti aeris salis minii fodinae; in aliquot fluminibus auri puri ramenta inveniuntur. Et quod est mirabile in vinetis in aurifero loco satis, aureae virgunculae et ad digiti, et ad semipedis longitudinem quandoque leguntur.<sup>1)</sup> Cuius generis complures nos vidisse fatemur. Boum equorum porcorum frumenti pabuli leguminis vini, denique aliquot bonorum ad vescendum fructuum mira abundantia. Unde nonnulli a pane quo vescuntur homines, ob soli videlicet fecunditatem affirmant nominatam. Alii propter eandem causam, utpote soli pecorumque fecunditatem appellatam affirmant a Pane, quem vetustas dixit Deum esse pastorum. Id autem vero potest esse simile. Ceterum Appiani Alexandrini de eiusdem regionis vocabulo sequor ego eam quam supra adtuli traditionem. Hungarico solo ea inquam a natura donata est

---

<sup>1)</sup> In Transylvania aureae virgulae in vinetis nascuntur. n. m. Galeotus scribit in Sirmio tales nasci auri virgulas: „Nascitur ibi aurum ad similitudinem virgulti — circa truncum vitis intorti ad magnitudinem plerumque duorum cubitorum, quod nos vidimus saepe. — — Ego quoque ex huiusmodi aureis virgultis annulum possideo.“ De dict. et fact. Mathiae regis. Cap. 27.



hubertas, ut si aliunde alia multa sationi apta comportarentur, ad ea ferenda esset haud dubie accommodatissima. Sunt multa loca in quibus scaturiunt calidae aquae, ad curandos humanos morbos salubres. Aquarum vero dulcium tum copia tum opportunitas in regno Hungariae maxima; quippe cum sit irriguum non modo maximis qui supra sunt a me nominati amnibus, sed quamplurimis etiam modicis sine nomine fluminibus. Quo fit, ut maxima abundet copia piscium amnicorum. Hominum ingenia acuta et excellentia; ceterum armis quam liberarum artium studiis propensiora. Mira haec regnum habet Hungarorum. Haud procul ab urbe Cassovia rivus est, in quem positum ferrum mutatur in cuprum.<sup>1)</sup> Nec longe ab eo loco est aqua, in qua gignitur genus illius metalli quod vocant vitriolum. Ad aliquot millia passuum supra Cassoviam gignitur crystallum, ac genus illud lapillorum qui appellantur topacii. Haud procul a Zolio, a quo oppido denominatum comitatum dixi supra, est locus concavus, unde emanat vapor omnis generis animalibus perniciosus; eo namque infecta illico moriuntur. Prope Scepusium<sup>2)</sup> sunt rupes, unde stillantes aquae guttae aestate glaciuntur. Sunt loca in quibus terra superficie tenus abunde evomit sulphur. Sunt et salis praerupti montes, quem fert natura. Sunt aquae ferentes pisces, qui cum coquuntur solvuntur in fumum. In Transylvania sunt cavernae, in quibus sunt et multa et integra, licet nuda cute capita ceteraque ossa mortuorum draconum. Nec satis reddi potest causa vel unde vel quomodo talia monstra fuerint ad ea loca delata: eo praesertim, quod in ea regione eiusce generis animalia nequaquam gignuntur. Quamquam sunt qui opinantur, per diluvium ex Africa aut ex locis aliis, ubi gignuntur dracones exundantium aquarum impetu ea corpora illuc fuisse correpta. Ex capitibus autem illis, unum mihi dono datum est, quod in rei tum fidem tum memoriam meis Italis ostendendum reservo.

<sup>1)</sup> Scepusii in Somolnok. n. m. <sup>2)</sup> iuxta Waralia n. m.



## Index III.

Ita descriptis Pannoniis cum supra multis in locis meminerim Danubii, qui fluvius est omnium qui sunt in tota Europa clarissimus, imo omnium qui sunt in toto orbe terrarum, praeter Gangem et Nilum ut nonnulli scriptores affirmant maximus; non erit ab re si ipsum hoc loco quoque descripsero. Huic anni duo nomina veteres indidere, quod quam paucis expressit de Ponto libro secundo Ovidius his verbis: vicina binominis Istri. Namque a loco sui ortus ad magna multarum regionum per quas labitur intervalla Danubium ipsum appellaverunt. A locis autem vicinis mari Pontico in quod influit cognominaverunt eum Istrum ab Istria, quae regio quidem olim fuit iuxta Pontum, quam tenuerant coloni Milesiorum, ut proditum est ab Herodoto historiarum libro secundo. Fuerunt nihilominus qui tradiderunt, in quibus est Plinius, ipsum Istri nomen accipere in locis in quibus incipit Illyricum attingere, utpote haud procul a Bebiis montibus, quibus dirimitur inferior Pannonia ab ipsa Illyride, iuxta Ptolomaei descriptionem. At vero Ptolomaeus ipse ait appellari Istrum a loco ubi est Axium, civitas inferioris Moesiae penes Danubium posita, unde hic annis incipit labi in orientem, donec perveniat ad urbem Dinogetiam, a quo loco convertitur in meridiem, et ad eam plagam in mare exit Ponticum.

Oritur teste Plinio, Natur. hist. libro quarto, idemque in suis tabulis ostendit Ptolomaeus, in Germaniae iugis montis Arnobe ex adverso Raurici, quod fuit olim Gallorum oppidum. Hodie ab eius fonte XL ferme M. P. intervallo, sita tamen ad ipsius fluvii ripam, distat Vlma nobilis civitas Germanorum. Labitur multis ultra Alpes millibus, sed primum quidem septentrionem, deinde meridiem versus per innumeras gentes. Linqvit autem a sinistris Germanos, a dextris Teutones et eas gentes, quas vetustas nominavit Vindelicos et Noricos, Svevos Bavaros Austrien-



ses. Deinde a dextris quidem habens Pannonias ac totam superiorem, magnamque partem inferioris Moesiae; a sinistris vero Jazyges Metanastas; talibus enim nominibus eos appellavit antiquitas; Daciam praeterea et partem quandam Moesiae inferioris, quae hodie dicitur Bulgaria, longissimo peracto cursu, septemque divisus hostiis, ut Solinus ait; ut autem Plinius Ptolomaeusque auctores sunt, sex, in mare Ponticum defluit. Sed et placet adferre quae de eius ortu et vocabulis magnitudineque ac decursu Pomponius Mela paucissimis prodidit his verbis: Ille fluvius qui Scythiae populos a sequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio quam desinit nomine, exoritur. Nam per immania magnarum gentium diu Danubius est; deinde aliter appellantis accolis Ister fit; acceptisque aliquot annibus ingens iam et eorum qui in nostrum decidunt mare, tantum Nilo minor, totidem hostiis, sed tribus tenuibus, ceteris navigabilibus, in mare Ponticum effluit. Sed magis particulatim demonstranda res est.

Oritur fonte mediocri, accessu multorum annuum exauctus brumalem orientem versus magnis voluminibus spatatur, patentibus maxima ex parte campis, quoad attingit urbem Budam nostro tempore dictam, sed Bledam olim appellatam, a Bleda fratre Atile regis antiquissimi Pannoniae conditam, et nunc regni Hungarorum sede clarissimam. Hinc ad meridiem tendens labitur semper angustior. At ubi per aliquot passuum millia, infra urbem quam vocant Quinque-Ecclesias Dravum excipit, et ipsum quidem insignem fluvium; iterum cursum ad hiemalem ortum dirigit, Villacumque ac Vatiam et alia<sup>1)</sup> nonnulla clara Hungarorum praeter labitur oppida, donec apud Taurinum Tribalorum olim emporium, quod hodie dicitur Belgradum, Tibisco amne ex montibus Scythicis recepto, Savo flumini commiscetur. Hic relicta Pannonia Moesiam dextra (ut ante dictum est) pertingens, ad aestivum ortum instar pelagi

<sup>1)</sup> Bathiam. Wylak Battha. n. m.



tacitus perfluit, multis in locis flectitur, saepeque terras vel perumpens vel altius submovens, ad Nicopolim tandem evadit oppidum, Heraclii imperatoris victoria, et morte filii Cosdrue regis Persarum nobile. Ex eo loco deflectitur in notum, in vicinum procul dubio casurus Euxinum Pontum apud Mesemuriam, ni vastis montium lateribus prohibitus attingere Thraciam, ab Asprocastro oppido viam in septentrionem deflectere compelleretur. Quam viam multis millibus passuum emensus, ubi primum obices montium ipsum a pelago arcentes pervincere potuit, in patentes excurrentes campos inter Ripensem Daciam, Vallachia hodie dicitur, et inferiorem Moesiam hostiis, quorum numerus supra explicatus est in Pontum evolvitur. In mare autem ipsum influens octo efficit ingentes insulas, septem in itinere derelinquit: duas videlicet in Germaniae Pannoniaeque finibus, totidem apud Strigonium Pannoniae metropolim, unam infra Budam, alteram apud Belgradum, tertiam omnium maximam apud Ripensem Daciam. Quamquam aliis multis in locis scissus, alias multas parvulas insulas efficit.

Totus eius decursus frequentibus vicis celebrisque nominis oppidis utraque ripa exornatus, mille et quadringentis M. passibus protenditur. Toto autem eo spacio quatuor et sexaginta haud ignobilia flumina in ipsum labuntur. Nec tot solum, verum etiam alia omnia parum celebria flumina, quae sicut illa nobilia cadunt et a Noricis et ab Illyricis montibus, quaeque e Moesia ac Dacia, et Scythicis regionibus meridiem versus decurrunt. Ideoque impurus ac minime nitidus, sed turbidus limosusque fluit. Patet compluribus in locis latitudine plusquam millibus passibus. Multis in locis ad ducentos pedes altus. Piscium varii ut generis, ita et magnitudinis feracissimus. Totus fere navigabilis hyeme excepta. Eo namque tempore tam alta tamque potenti glacie persaepe solidatur, ut quam gravissimis curribus, maximisque exercitibus tuto transire liceat. Aristoteles Meteororum libro secundo ait: Huius annis singula ora tanta esse, ut ab ipsis ad sexaginta millia



passuum longitudine mare vincatur. Urbes autem et oppida, quae ad eius ripas a locis fonti propinquis usque ad hostia illa vel sex vel septem, de quibus supra est iam habitamentio, posita sunt, enumerare difficile est. Quorum tamen est fama celebrior, quantum ad meam potuit pervenire notitiam, prout accepi a locorum peritis, haec sunt.

Sub Vlma, de qua urbe est iam facta mentio, ad XII ferme passuum millia est oppidum nomine Leipham,<sup>1)</sup> utor enim et vocabulis, et literatura quibus utuntur accolae eorum Germana lingua. Sub eo ad X. M. P. Gundelfing; sub quo ad duo M. P. Lauinghe.<sup>2)</sup> Inde ad V. M. P. abest Tilinghen.<sup>3)</sup> Postea intervallo V. M. P. Hechstetten,<sup>4)</sup> cuius nominis significatio est: alta civitas. Sub ea ad M. P. X. Suebeschuerdt, quae interpretatur Schueva peninsula. Ea omnia loca ab ipso Danubii fonte huc usque pertinent ad regionem, quam antiquitas appellavit Vindeliciam; quae cum sit Rhetiae contermina, fit ut utraque in unam coeant provinciam, quam hodie appellant Schueviam. Vindeliciam perhibent Germani dictam a duobus fluviis in Danubium labentibus, quorum alter licet nominetur Lycus, vulgo tamen apud eam nationem Lech pronuntiat. Alter amnis dicitur vulgo et Vertach et Vinda, quod vocabulum gentis lingua a vulgo Finda profertur. Ex utroque nomine, hoc est: Vinda et Lycus deductum est vocabulum, quod est Vindelicia. In ea regione cum sit Augusta, clarissima totius provinciae metropolis, fit ut ea civitas Augusta Vindelicica cognominetur. Illius nobile nomen satis indicat eam fuisse ab aliquo Romanorum imperatore conditam. Quisnam autem fuerit ille, ignorare plane me fateor. Quamquam plerique Germanorum nimium vetera repetentes in Octavianum Augustum illius referant conditionem. Incipit inde regio Noricum a veteribus, nostris vero temporibus cognominata Bavaria. Ceterum nonnulli Germani periti locorum aiunt Noricam provinciam in duas dividi portiones: in su-

<sup>1)</sup> Leipheim in Bavaria <sup>2)</sup> Lauingen. <sup>3)</sup> Dillingen. <sup>4)</sup> Höchstetten.



periolem et inferiolem, Et in illa quidem esse Bavariam, in hac Austriam. Primum igitur ad ipsum superius Noricum, penesque Danubium positum oppidum nuncupatur Nouburgh,<sup>1)</sup> quod abest ab ea cuius est mentio facta peninsula M. P. XXV. Postea XX. M. P. intervallo est Inghelstadia, studiis liberalium disciplinarum inelyta civitas, Auriapolis antiquitus dicta. Inde haud procul abest parva peninsula nomine Fogburgh,<sup>2)</sup> ubi est arx munitissima, ex quo loco ortum habuere Bavarorum marchiones. Modico ab eo intervallo distat oppidum, quod vocitant Kelhem.<sup>3)</sup> Sub quo Reghensburgh quae civitas vulgatissimo nomine dicitur Ratispona, episcopatu Alberti Magni olim clarissima, propter viri doctrinam vitaeque sanctitatem et apud philosophos auctoritatem illustrem. Distat autem ab Inghelstadia, cuius modo meminimus M. P. ferme XL. Ratisponae multa esse indita nomina indigenae affirmant. Quadratam quippe ab eorum maioribus eo dictam ipsam dicunt, vel quod eius murus quadrato sit structus saxo, vel quod in quadrati forma fuerit a conditore aedificata. Tyberinam a Tyberio, ex quo tempore gessit adversus Rhaetios et Vindelicos bellum. Hiataspolim a Hiataso, qui dux ei civitati olim imperavit. Regenopolim a flumine Regen appellato; quod modico ab ea urbe intervallo labitur in Danubium. Praeterea Imbriopolim ab eodem flumine, cui imbri quoque est nomen. Nomen autem eiusdem civitatis vulgatissimum, nonnulli indigenarum scribunt per *p* literam; alii per *b* scribendum malunt. Duplicem igitur esse volunt eius nominis interpretationem. Namque Ratisponam dictam volunt propter lapideum, et eximiae magnitudinis pontem supra Danubium qui urbem ipsam interfluit, miro structum artificio. Dici itaque perhibent Ratisponam quod eo in loco per pontem non minus quam per ratem tutus ac facilis sit euntium atque venientium transitus. Qui vero dicere malunt Ratisbonam, hi vocabulum ipsum ratem bonam inter-

1) Neuburg. 2) Vohburg. 3) Kellheim.



pretantur. Idque propterea quod non mediocri concursus rarium ac navium est ad eam urbem mercimonii gratia. Ibi vero hominum frequentiam maximam iam olim fuisse Ratisponenses ferunt, cum esset hic locus nobile totius regionis emporium. Sub ea urbe ad M. P. V. arx est rebus omnibus munitissima Stauf nomine. Ad M. dehinc passuum XXV Straubingh. Sub ea ad XX. M. P. Teken-  
dorf. Inde totidem millia Filzhoven. Inde ad tot altera millia Passau, quae latino verbo dicitur Patavia ab Italo Patavio (ut perhibent accolae) cognominata. Posterius namque Antenoris feruntur ipsam condidisse, ut plerique Germanorum adstruunt. Est totius Bavariae metropolis clarissima; vetustissimam eam esse asserunt indigenae. Tres in ipsam influunt amnes: Enus Ilzt Danubius; quibus ipsa in tres est divisa partes. Sub ea ad totidem M. P. intervallum Zell,<sup>1)</sup> cuius oppidi agro terminatur Bavaria. Principium deinde est Norici inferioris, quod a nonnullis dicitur Noricum ripense, ab aliis Austria superior; a quibusdam terra supra Anasum fluvium. Quamquam est et Anasum archiepiscopali sede insignis civitas quod Laureacum olim appellatum est. Huius regionis prius occurrens oppidum dicitur Lintz quod abest ab urbe Vienna centum ferme P. M. Intra quod intervallum sita sunt haec oppida in hunc ordinem: Grain Ens quod et Anasum, de qua civitate modo mentio facta est. Pechlern, id est praeclara in cuius fronte ex altera Danubii ripa positum est Altpechlern, cuius vocabuli significantia est: antiquum praeclarum. Melch Neuburgh Spitz Tirenstan Stan Crems, contra quod ex altera fluvii parte situm est Mauter. Sub Crems Tulna; postea Closter — id est Claustralis Nauburgh; cum ibi sit nobile canonicorum regularium monasterium, ubi conditum est sancti Leopoldi corpus. Ex loci huius conspectu trans-eundem amnem situm est Cornaumburgh, idest forensis Nauburgh, ita nominatum, quod is locus sit forum rerum ve-

<sup>1)</sup> Engelhartszell in Austria.



nalium. Inde ad M. P. ferme V. est Vienna totius non modo superioris, verum etiam inferioris Austriae clarissimi nominis urbs, quae olim Flavianum nuncupata est. Satis sit iam haec de ipsa nunc attigisse; suo namque loco de tanta urbe multa mentione digna memoranda mihi sunt. Principium ab ea fit Austriae inferioris, quae ibi desinit, unde superior incipit Pannonia. Sub Vienna ad M. P. octo Encisdorf a quo haud procul abest Fischemünd; sub quo ad XII M. P. Petronella, quae ob magnitudinem appellata olim fuit Troia minor ab indigenis. Appellata quoque fuit et Celetia et Celectum. Hodie licet iaceat, diruta namque fuerunt eius aedificia bello gesto a Mathia Hungarorum rege adversus Fredericum Romanorum imperatorem: semper tamen erit illustris ortu sancti Maximiliani Patavien-sis antistitis. Sub ea ad M. P. VIII Humburgh<sup>1)</sup> quod designat castellum Hunnorum. In hoc tantum loco reman-sit Hunnae gentis nomen, quod olim fuerat terrori uni-versis orbis terrae nationibus. Eius autem castelli agro Austria dirimitur a Pannonia. Illic enim desinunt Norici montes, quibus Pannoniam ipsam ab occidente terminari supra ostendimus. Licet enim montes ad quorum radices situm est oppidum, non sint nimiae excelsitatis; proten-duntur tamen intra occidentem et aquilonem, quousque se coniungant Noricis aliis, qui sunt excelsiores.

Ex pertinentibus autem ad Pannoniam, seu malueris dicere Hungariam primum occurrit Posonium a sinistra fluvii positum oppidum, quod pulcritudine arceque loci natura atque opere munitissima insigne admodum est, et distat a Humburgh VIII. M. P. Inde ad M. P. X Altem-burgh quod latine interpretatum dicitur Vetus castellum. Postea ad M. P. XXX a fluvii dextra sita est civitas Ger-manorum lingua appellata Rab, sed vulgatissimo apud Hungaros nomine dicitur Jaurinum, Jarnum dictum a ve-teribus. Praeest episcopali dignitate eius Thomas Erdeudy

<sup>1)</sup> Hainburg.



vir excellenti ingenio, et cum literarum latinarum peritia callens, tum in ceteris laude dignis disciplinis in primis eruditus. Spectata eius fide Mathias Corvinus Hungarorum rex animadversa, ipsum inter omnes amplissimi regni sui ecclesiarum antistites elegit, qui apud se secretarii uteretur officio. Ab eo loco abest Cumara vetustum adhuc retinens nomen quod in asiatica Scythia olim ei fuerat M. P. XXV. Sub eo XX. M. P. intervallo Labatlan;<sup>1)</sup> sub quo ad M. P. XXV. Strigonium Istripolis antiquitus dicta totius Hungariae praeclara metropolis, cui praeest hodie Hippolytus Estensis eximia indolis adolescens, Herculis Ferrariensium ducis filius, ac Ferdinandi Siciliae citra Pharam regis ex Dianora filia nepos. Sub ea civitate ad M. P. X. situm est Vicegradum pulcherrima et ornatissima a divo Mathia structa regia. Sub eo a laeva Danubii Batia<sup>2)</sup> episcopali sede illustris civitas. In dextra deinde eiusdem Pagus sancti Andreae in romanae legionis situm vestigiis, ubi complura Romanorum exstant epitaphia. Sub quo M. P. XLIII. intervallo occurrit Buda regni Hungariae caput et sedes illustris. In eius contraria ripa situm est oppidum quod Pestum appellatur, fama et ipsum propter Budae vicinitatem non ignobile. A Buda abest Nanderalba, qui locus dicitur alio nomine Belgradum, millia quibus utuntur Hungari quatuor et quadraginta. Quae sunt romanorum, quibus hoc opere utimur M. P. CCXX. Intra quod intervallum multa quidem sunt loca culta, sed mentione digniora hoc sita sunt ordine: Tolna Sexsart Baia Bata Bodrog Apat<sup>3)</sup> Erduit<sup>4)</sup> Bore<sup>5)</sup> Sata Axia Drassat Bakonostra.<sup>6)</sup> Quibus in locis est ea regiuncula quam vocitant Sirmiam, ita cognominatam ab oppido vetustissimo, quod Sirmium apud veteres Geographos dicitur. Terra ferax est vini apud Hungaros quam laudatissimi. Occurrit deinde Vylak,<sup>7)</sup> in quo oppido Joannis Capistrani viri Dei corpus conditur,

<sup>1)</sup> in comitatu Strigoniensi. <sup>2)</sup> Vacia. <sup>3)</sup> Apatin. <sup>4)</sup> Erdöd in Com. Veröczeni. <sup>5)</sup> Borovo et Sotin in C. Sirmiensi. <sup>6)</sup> Banostor. <sup>7)</sup> Illok.



quod divina virtute, multis fertur clarere miraculis. Sub eo loco Xerut,<sup>1)</sup> sub quo Beiem. Contra quod, hoc est ab adversa Danubii ripa situm est Futach. Ab altera parte post Beiem Chamans,<sup>2)</sup> postea Petri Varadina, Charum,<sup>3)</sup> Sallamkhemim<sup>4)</sup> Zemlim. Hisque in locis inferior desinit Pannonia. Hic se Savus Danubio miscet, quibus fluminibus superior Moesia a Pannonia ipsa dirimitur. Dicitur autem vulgo ea Moesia Servia, cuius primam occurrentem ex his locis partem appellant hodie Rasciam. Huius vero primum contraque Pannoniam positum oppidum est Belgradum, quod licet sit ultra Hungariae terminos, tenetur tamen ditione regum Hungarorum. Est id oppidum natura loci atque opere munitissimum, et insigne ea clarissima victoria qua Joannes Corvinus profligavit Mahametum Turcarum imperatorem, verso illo in fugam, illiusque numeroso fuso exercitu, ut libro huius operis primo et quadragesimo prodidimus, prodemusque hoc volumine, cum in eiusdem victoriae prolixam mentionem pervenerimus. Inde ad M. P. ferme XX. distat Smedris,<sup>5)</sup> hoc est Sancti Andreae nobile Rascianorum oppidum, quod ita loci natura munitum est, ut sit expugnatum difficile. Paret imperio Turcarum, quod nostra memoria ea gens in suam redegit potestatem. Inde ad locum unde est Moesiae inferioris, utpote regionis Bulgariae principium est oppidum Bdiognum nomine, parvum quidem, sed situm in loco ita suapte natura idoneo ut pene sit inexpugnabile, quod et ipsum ditione tenetur Turcarum. A sinistra deinde Danubii in regione Vallachorum est oppidum cum arce munitissima, cui Severino est nomen, estque ditionis Mathiae regis Hungarorum. Postea ad intervallum supra centum M. P. a Danubii dextera posita est urbs totius Bulgariae opulentissima Nicopolis nomine, ita graeco verbo appellata a victoria, quam adeptus olim fuit Romanorum imperator Hera-

---

1) Cserevics. 2) Kameniez. 3) Karlovicz. 4) Slankamen. 5) Semendria.



lius deleto ingenti Cosdroae Persarum regis exercitu, illiusque filio interfecto, ut et ante dictum est. Ea autem civitas una cum tota regione in qua est sita, Turcarum paret imperatori. Postremo ab eiusdem amnis laeva sita est in finibus Europaeorum Sarmatarum civitas quam appellant Dieliam,<sup>1)</sup> a qua intervallo M. P. ferme quatuor Danubius in mare Ponticum septem hostiis, ut supra ostendimus irrumpit. Quae civitas Turcarum quoque ditioni subiicitur.

Ita descripta utraque Pannonia atque Danubio, consequens est ut iuxta ordinem, qui nobis initio constitutus est Hungarorum regum seriem ab Hunnis eorumque duce Atila principium facientes ordiamur.

## Index IV.

Postulat autem res, ut pro dicendarum rerum exactiore notitia haec pauca altius repetamus. Romano olim illo amplissimo imperio paulatim declinante surrexerunt barbarae quaedam efferataeque nationes, diversis tamen temporibus, quae romanas provincias multis variisque vastationibus et cladibus afflictas sibi occupavere. Ex illis hae fuerunt, quae prae ceteris a rerum scriptoribus maxime celebratae sunt. Persae Gothi Vandali Hunni Quadi Alani Marcemani Eruli Suevi Turingi Hungari Longobardi Franci Burgundi Saxones Alemani Saraceni Tartari Turcae. Qua vero tempestate unaquaeque earum surrexerit, quibusque e locis earum fuerit origo atque profectio; quis praeterea qualesque fuisse ferantur singularum progressus ac finis rerum gestarum, suis in locis superioribus libris satis ostendimus. Ceterum eas omnes nationes missas nunc facimus, de Hunnis tantum habenda est nobis mentio. Quae gens Valentis<sup>2)</sup> romani principis aetate duce Atila subegit

---

<sup>1)</sup> Kilia. <sup>2)</sup> legè: Valentiniani. quia Theodosium ante illum imperasse dicit.



suae ditioni Pannonias, ubi et sedes sibi postea magna cum gloria rerumque gestarum felicitate locavit. Quamquam aliquot ante eundem principem annis, utpote sub seniore Theodosio ea natio magnos in quibusdam aliis Europae locis motus exciverat. Sed non erit ab re si hoc quoque loco ostendamus unde Hunni profecti sint in ipsas Pannonias; quamvis repetere nos oporteat perpauca ex eis quae supra a nobis sunt explicata prolixius. Memoriae nobis est, nos libro huius operis VII-o, quo descripsimus quae pertinuerunt ad Scythiam regnumque Scytharum, meminisse Sarmaticarum regionum atque locorum, quae sunt Riphaeis montibus proxima, et haud procul ab illis Hunnos solum habuisse natale. Docuimusque eam gentem ita cognominatam non a patria, cum nulla sit ibi regio quae nominatur Hunnia; sed ab illorum duce qui Hunnus vocatus est. Cumque ex eo loco fuerit eorum profectio, idcirco eodem libro prodidimus ipsos nationem fuisse Sarmaticam. Nec tamen ea nostra traditio adversatur ei, quod Hungari quidam affirmant, perhibentes Scythici generis se maiores habuisse. Namque Sarmatarum nationes, quae duae sunt Europaea videlicet et Asiatica, ex Scytharum genere defluerunt. Affirmantes itaque nos Hungaros exortos fuisse natione Sarmatica, non propterea inficiamur ipsos a Scythis habuisse originem. Scribens praeterea ego ea quae obtigerunt memoratu digna anno salutis humanae CCCLXXIII prodidisse me memini, quemadmodum abundante multitudine Sarmatarum tenentium loca Riphaeis propinqua montibus, multa millia illorum deseruere patriam, seque coniungere exercitui Gothorum, qui et ipsi aliquot ante annis suis sedibus excesserant. Ortis deinde inter se capitalibus odiis, alteri ab alteris abalienati inter se contulerunt arma. Sed Gothis tandem victis, qua via data est Sarmatae locis illis excessere, duceque Hunno, id enim erat viro uti paulo ante dixi nomen, processerunt ulterius, ac pervastatis subactisque mediis regionibus pervenerunt tandem usque in Pannonias, quas et subegerunt, et in eis sedes posuerunt.



Primos, qui ei genti persvasere ut desererent patriam, fuisse eodem libro ostendimus Hunnum prius a quo genti nomen est datum, post quem Cottarem et Rhoam fratres Mundae Zeturi<sup>1)</sup> filios. Quibus mortuis Atilam et Bledam fratres regio exortos genere illorum fuisse duces, quorum auspiciis eam gentem contra alios Europaeos Sarmatas bella fortiter feliciterque gessisse. Diximus praeterea eos multa per totam fere Europam postea gessisse bella adversus et romanos principes et populos Christi cultores, quorum multas provincias perdomuere. En perventum est nobis iam in mentionem Atilae, qui primus Sarmaticae gentis Romanorum imperium ac omnes quotquot erant veri Dei cultores submovit e Pannoniis, primusque in eis regnum post illos obtinuit; regnum praeterea Hunnorum ibidem constituit. Satis igitur fuerit nobis paucis de ipso deque suis Hunnis ea nunc repetivisse, quae supra libro qui dictus est ostenderamus. Itaque praetermissis aliis quae ibi prodidimus, texere hinc incipiemus Hunnorum Hungarorumque regum ac ducum catalogum, quo tandem perveniamus ad divum Mathiam Corvinum, qui per haec tempora regnat in Hungaria. Sed ante omnia quinam fuerint Atilae mores, qualeque ingenium doceamus.

## Index V.

Is ingenio fuit feroci saevusque et audax, supra quam explicare quisquam posset. Adeo elato animo, ut non modo se superiorem, sed ne parem quidem sibi toto

---

<sup>1)</sup> Nomina haec ex Prisci Rhetoris libro a Jornande adducta hodie rectius sic leguntur: „Is namque Attila patre genitus Mundzucco, cuius fuere germani Octar et Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuisse narrantur. — — Post quorum obitum ipse cum Bleda germano Hunnorum successit in regnum.“ De reb. Getic. C. 59. Edit. Genev. 1650. p. 731—732.



orbe quempiam et esse et haberi pateretur. Rei bellicae omnium sui temporis ducum peritissimus. Mire astutus, parandarum in hostem insidiarum egregius excogitator; militarium quorumcunque laborum patientissimus; in inveniendis instruendisque bellicis machinis ac multorum generum armorum ingeniosissimus. Fuit exiguo corpore, capite grandiore, parvis glaucisque oculis, simo naso, rara sed prolixa barba, lato pectore, colore ad fuscum declinante, vultu horrendo, utpote qui innatam prae se ferebat immanitatem; avaritia insatiabilis. Quo nihilominus famam sibi apud mortales compararet viri benefici, viros nobilitate insignes ad se vel visendi studio, vel legationis gratia venientes egregie donatos, domum persaepe remisit. In re gerenda ut prudens et strenuus, ita et in primis fortunatus. Maxime praeceps in venerem, vino plus nimio indulgebat; in hominum necem supra modum propensus. Christiani nominis hostis acerrimus, ad quorum memoriam ex orbe delendam dicebat se a Deo missum fuisse; eamque ob rem flagellum Dei se cognominari volebat. Fertur supra viginti millia hominum sua ipsius peremisse manu; a suis autem copiis ad octingenta millia interfecta traduntur. Bledam fratrem dolo occidit. Quam ob causam id scelus admiserit varie traditur. Perhibent nonnulli causam eam fuisse quod magna erat utriusque fratrum morum diversitas. Miti erat ingenio Bleda, Atila feroci; pacem amabat Bleda, bellum Atila; humanus ille erat, hic truculentus et sanguinarius; ille beneficus, hic congerendarum opum cupidissimus; abstinebat ille alieno, hic nec domesticorum parebat opibus. Bleda saepe svadebat fratri, ut abstineret armis, satis enim sibi esse, quod magnam Sarmatiae Germaniaeque partem, universam Thraciam Macedoniam, duas Misias duasque Pannonias Noricum et Illyricum Achaiamque suae ditionis fecissent. Satis iam gloriae genti Hunnorum comparatum, qui Romanos rerum olim in orbe potitos e suis provinciis pepulissent: in regnis igitur, fuso tanto Hunnorum cruore partis, esse quiescendum. His atque aliis



multis quae in rem fuerant visa idonea Bela Atilae fratri longinquiorem diuturnioremque militiam saepe dissuadebat. Id ille perquam moleste ferens, clam imperat nonnullis e suis, quos ad hoc iudicavit aptissimos, ut cum primum nanciscerentur opportunum tempus Bledam incautum interficerent. Dum itaque ille viseret opifices qui muro circumdabant Bledam, quam urbem tunc ipse condebat, et ex se cognominari decreverat, Budam postea veterem nuncupatam ut supra ostendimus, satellites improvisi ad eum venientes locum, ipsum nihil tale sibi metuentem obtruncavere. Alii produnt Bledam, quem Atila adsciverat iam ad regni consortium, bellum ille dum gereret in Gallia, fines sibi imperii constitutos fuisse transgressum; ideoque ubi rediit in Pannonias, ipsum in fratrem manum intulisse, illiusque cadaver iecisse in Danubium, ne unquam sepulturae tradendum inveniretur.

## Index VI.

Bleda igitur ita mortuo convertit Atila cogitationes suas omnes ad subigendas alias romanorum principum provincias. Contractis itaque undecunque potuit copiis, atque instaurato veteri suorum exercitu primum invadit propinquum Pannoniis Illyricum, deinde conterminas ei Liburniam atque Dalmatiam. Quidquid agrorum occurrit ferro ignique pervastat. Delet urbes et civitates, quae statim, hoc est cum primum fuit profectus eius exercitus, deditionem non fecerunt. In his fuere Tragurium Sibinicum Jadira Senia Pola. Quae civitates postea progressu temporum posteriorum restitutae sunt, Jadira praesertim, quae pulcritudine opibus et auctoritate ceteris praestat. Italiam postremo versus contendit. Delet Aquileiam, capit ac diripit Patavium Vicentiam Veronam Brixiam Bergomum Mediolanum Comum Ticinum Bononiam; breviter, subigit Flaminiam, agrum Picenum Hetruriam. Urbem Florentiam funditus



sustulit, licet ultro deditionem fecerit. Fuit habitatore vacua usque ad Caroli Magni tempora, a quo restituta est. Rediit postea in Galliam cisalpinam, ut illic instaurato exercitu (magnam enim militum partem eo bello amiserat) ad delendam Romam se inde converteret. At vero Leo huius nominis primus pontifex maximus, vir ut doctrina, ita vitae sanctitate insignis divinitus inspiratus, simul ad ductus Valentiniani romani principis precibus, urbe cum clericorum magno numero excedens ad Atilam proficiscitur. Ille de pontificis adventu factus certior obviam ei procedit, non plane honoris gratia, sed eo animo, ut ipsum sua manu iugularet. Pervenerat iam pontifex usque locum a quo haud procul Mincius amnis in Padum influit. Tum illo salutato: „Hoc tibi inquit iubeo Atila in nomine Jesu Christi Dei omnipotentis filii, cuius ego cultor sum et servus et in terris vicarius; siste pedem ac desine saevire in Italiam. Averte animum ab urbe Roma, quam delere te posse sperasti. Sunt iam te multo potentiores qui ipsam tueantur: satis superque flagellum Dei te esse comprobasti. Huc usque romano imperio christianisque nationibus fuisse te infestum, Deo permittente, licuit. Abi hinc nemini nociturus in Pannonias, ubi datum tibi a Deo est tuorum Hunnorum sedes posuisse. Sin feceris aliter, haud mora, in te tuasque copias malorum omnium ultor Deus mihi crede animadvertet.“ Haec ubi pontifex dixit, ille omni ferocitate deposita velle se parere respondit. Petita igitur a sancto viro excedendi venia, nihil moratus iubet per praeconem universo exercitui ut innoxius ab Italia abeat. Castris itaque propere motis se itineri committit, ut obedienter pontificis pareat imperio. Rediens autem ut primum pervenit in Noricum diem suum obivit.

De eius morte duas scio ferri opiniones. Fuerunt qui affirmaverint ipsum ob morum asperitatem occisum fuisse suorum militum manu. Ab aliis proditum est, quod plerique asserendum malunt, ipsum dum dormiret suffocatum fuisse sanguinis profluvio, qui ore naribusque eius



plurimus emanavit. Profluvii causam aiunt fuisse vini crapulam. Jacuisse ea nocte cum eo perhibent Ildiconam, ceterarum quae ei erant uxorum pulcherrimam, in quam mortis eius causam nonnulli retulere. Fuerunt autem, qui puellam tuerentur, et quidem non iniuria, propterea quod nulla vel illata vulnera, vel dati veneni indicia in exanimi corpore visa sunt. Sanguinis autem quod dixi profluvium inficiari nemo potuit, tanta fuit rei evidentia. Illud vero nequaquam praeterisse volui silentio, cum sit et mentione dignum. Mirantibus barbaris quibus ipse solebat uti familiarius, cur adeo celeriter ac modesto obtemperasset visioni christiani sacerdotis: „Vidi inquit supra caput illius duos viros visu terribiles, qui nudatos strictosque gladios manu tenentes, necem mihi, cunctisque vobis minitabantur, nisi haud cunctanter illius imperio paruissem. Ex illius praeterea ore nescio quid terrificum in me effluxit, quo ita expavi, ut nescirem quo me verterem. Ut itaque meae vestraeque consulerem salutem, parui ut videtis et perquam facile et quam celerrime. Ab Italia igitur in nostras omnino Pannonias commigrandum nobis est.“ Id ubi rescivere clerici et alii qui fuerant comitati pontificem, quaesierunt ex eo quidnam sibi vellet quod Atila se vidisse supra illius caput fateretur. Respondit pontifex: „Beatos apostolos Petrum et Paulum Dei voluntate ita apparuisse, qui tanti essent, ut saevissimi tyranni vim possent prohibere, ne urbem Romam, quae in eorum est tutela invadat ac deleat, ut se facturum decreverat.“ Qua autem nocte interiit, Marcianus imperator agens in urbe Constantinopoli, fertur illius arcum fractum per quietem vidisse; somno vero excussus dixisse domesticis quod viderat, coniecturaque se ait assequi vitam illum excessisse. Regnavit in Pannoniis annos quatuor et quadraginta; quamquam ducis nomine annos quinque praefuerat exercitui Hunnorum, antequam in Pannoniis regni diadema recepisset. Fuit corona donatus Hunnorum omnium uno consensu anno ab ortu Jesu Christi CCCC primo, ab adventu vero ipsius in Pannonias anno octavo et vicesimo.



Vitam perduxit ad annum aetatis centesimum et vigesimum quartum; qui fuit post perdomitas ab ipso Pannonias annus secundus et septuagesimus.

Sub eo occisa fuisse nonnulli putant undecim illa millia virginum, quarum dux fuit beata Vrsula regis Britonum filia. Ab exercitu namque Hunnorum, qui per id temporis Agrippinam Coloniam obsidebant, interfectae fuere. Hunnorum dux erat romanus quidam Julius nomine, qui abalienatus a patriae charitate defecit ad Atilam. Alii perhibent Hunnos a quibus intererant illae virgines descivisse ab Atila, ipsosque sub duce Julio postea militasse, atque pro Romanis Coloniam, quae defecerat ad Atilam, circumsevisse. Propterea traditum esse ab eo, qui scripsit beatae Vrsulae martyrium, Maximinum romanum principem misisse nuntium ad Julium Hunnorum ducem, ut educto contra illam virginum multitudinem exercitu, eas (cum Roma redeuntes venirent Coloniam) ad unum interficerent. Memorant ipsum Atilam in exercitu suo ex solis Hunnis ad decies centena millia armatorum habuisse; ex aliis nationibus supra quingenta millia; curruum et quibus rerum quae essent usui necessaria onera comportarentur, et qui essent ad rem gerendam idonei decem millia. Arma omnis generis, ac variae tum formae tum magnitudinis tentoria; quaecunque praeterea essent usui rei bellicae, regalisque luxus splendori, et ornamento atque voluntati pretii erant prorsus inaestimabilis. Fuerunt qui arbitrati sunt ipsum in cunctis, quae pertinent ad rei militaris scientiam, barbararum gentium omnium duces, qui ante se unquam in orbe fuerunt, et in primis Hannibalem superasse.

Satis iam de Atila; memoranda hinc sunt quae ipso mortuo Hunnorum tam numeroso exercitui acciderint. Quemadmodum videlicet mutata fortuna totus pene deletus sit.



## Index VII.

Multi ei fuere liberi, quos ex diversis susceperat uxoris. Eorum natu maximi virtuteque omnium praestantissimi Chabas et Adalarius cum essent de paterni regni successione discordes, ad arma venerunt. Nec defuerunt ex Hunnis atque ex ceterarum gentium maxima illa multitudine, qui utriusque fratris partes sequerentur. Multa atrocissima praelia commissa, multi utrinque desiderati. Brevis intra paucissimos dies tot millia virorum caesa sunt, ut ex illo tam numeroso exercitu vix quinquaginta millia et nongenti fuerint a cladibus superstites. Ad extremum Chabas ab Adalario victus cum sexaginta suis fratribus, et quindecim Hunnorum millibus quae ipsius favebant partibus, fugiunt e Pannoniis. Rediit ad eam Sarmatiae regionem, unde eam gentem fuisse profectam supra prodidimus. Ibi autem et ipse, et qui ipsum secuti sunt, reliquum vitae tempus transegere. Sed multi suis conterraneis ceterisque Sarmatarum populis de Pannoniis narraverunt, magna videlicet cum laude commendantes regionum amoenitatem, solumque eius, complurium optimarum rerum feracitatem praecipuam. Gigni illic argentum et aurum, et omnia ceterorum metallorum genera; vineta ibidem et visu pulcherrima, et quae vina ferant laudatissima. Ea commendatione permulti ex illis mire pellecti persaepe decrevere in Pannoniam relicta Sarmatia proficisci. Ceterum eo se domi continuere, quod non facile cogi ab illis potuit vel ea multitudo, vel id robur inventutis, quo vi, si necessitas exigeret penetrarent ad terras, quae nimium procul ab eorum patria abessent. Atque ita filii illorum filiorumque filii atque illorum posteris, incensa ea animi cupidine semper fuere, ut peterent Pannonias, quas olim tenuisse suos maiores accepissent. Turpe namque ducebant non reminisci nobilissimae patriae, quam eorum patres armis gloriose quaesitam olim tenuerant, diuque Romanis invitis posse-



derant. Ingratam esse nationem Sarmatarum, quam Atila cepisset oblivio; quippe cum fuerit vir sempiterna memoria dignus, quo nunquam fuit vel erit bellica virtute maior; qui nationi qua fuit exortus immortale nomen, et quae nunquam oblitteraretur gloriam comparavit. Revisendam igitur ac recuperandam, virtuteque tenendam patriam, quae tanti viri corpus sepulcrumque servaret.

Anno itaque ab Atilae morte primo supra trecentessimum,<sup>1)</sup> qui fuit annus a Jesu Christi ortu quadragesimus quartus supra septingentesimum, Sarmatarum ingens multitudo plecta rebus quae mihi commemoratae sunt, nacta quendam rei militaris haud mediocri peritia, Hungarum non proprio, sed a patriae ubi natus est nomine appellatum, quod latine significat strenuum, natali excedunt solo. Excedunt inquam a parte quadam Europaeae Sarmatae, quam hodie quoque Sarmatae ipsi vocitant Hungariam. Cuius regionis incolae magna ex parte loquuntur, ut affirmant complures, qui inter eam nationem versati sunt, lingua qua nostri Hungari utuntur. Id verum esse eo etiam confirmari potest, quod Joannes Sarmatarum imperator, quem vocitant Moschoviae ducem, inter ceteros principatus sui insignes titulos Hungariae quoque se ducem appellat, ut libro septimo rei huius habentes mentionem, ostendimus. Non autem nostrae huius Hungariae ducem se dicit, sed illius Sarmaticae, unde profecti sunt Hungari, qui Pannonias tenent. Duce igitur Hungare, quem ea natio ita a patriae nomine ad aeternam rei memoriam vocari voluit, Sarmaticis finibus Hungari egrediuntur. Quaecumque fuit eis transeundum, ferro sibi aperuere viam. Quid multis moror? ad optatae tandem terrae pervenere fines, quam hostiliter ingressi, atque adversus incolas bella gerentes, brevi eos perdomuere. Ipsam autem Pannoniam prisco mu-

<sup>1)</sup> „centesimum“ est mendum scribae; nam auctor hic paulo inferius: „Seythae in Pannonias post annos trecentos reversi.“ Eadem est Turócii chronotaxis II. 1.



tato vocabulo Hungariam, non tantum ab eorum duce, sed ex se etiam cognominavere. Quod nomen in hanc diem, ut est toti orbi notissimum, permanet. Gloriari plane possunt Hungari se fuisse consecutos, quod Hunni consequi ante nequaquam potuere; utpote qui nequiverunt efficere, ut ipsis regnantibus antiquissimum Pannoniae nomen a vulgi memoria aboleretur. Non tamen me fugit, quendam Hungarorum rerum scriptorem prodidisse, nihil esse discriminis inter Hunnorum et Hungarorum appellationem; sed latino quidem verbo dici Hungaros, peculiari autem nationis lingua eandem gentem vocitari, tum Magiaros, tum Hunnos.<sup>1)</sup> Ego nihil in ea re disputare ausim; ne hominibus Hungaris, gentis suae rerum scriptoribus reluctari videar. Ceterum eius, quod hoc loco affirmo, habeo auctorem, quem sequi non vereor, Elinium videlicet probatum historicum natione Francum, quem aliquot in locis superiorum librorum, ubi hortata res est, sum ipse secutus. Is anno Jesu Christi MCCLXXII scripsit opus egregium, licet rudi sermone, quo explicuit originem gentium omnium barbararum, quae a Magni Constantini temporibus, ad suam usque tempestatem, varias orbis terrae partes tenuere. Prodidit igitur scriptor is diligentissimus operis sui libro V-o ubi tradidit quae pertinent ad originem Tartarorum et Gothorum Vandalorumque atque Longobardorum, Hunnorum et Hungarorum: Hunnos et Hungaros eandem quidem fuisse gentem, utpote Scythicam, seu mavis dicere Sarmaticam; sed Hunnos fuisse cognominatos a duce Hunno nomine; Hungaros vero a Sarmatica quadam regione, unde in Pannonias venerunt, quam ex patriae suae vocabulo nominari voluerunt Hungariam. Hoc habui quod de Hungarorum et origine et nomine scriberem. At vero nequaquam ego eis reluctor, qui sentiunt aliter de Hungaris; praesertim quos credendum est multo magis ad vivum res eorum pernos-

<sup>1)</sup> Respicit ad Turóci II. c. 1. „vulgariter Magyarai sive Hunni, latine vero Hungari.“



cere, quam vel me, vel quemvis alium, ab eorum patria vel gente alienum. Ei igitur quae magis placuerit quisque habeat fidem. Sed ad Adalarium Chabae fratrem et Atilae filium, quem videbamus praetermissis, redeamus.

Ex copiis quae partes eius fuerant secutae haud multo post Chabae fugam, tot interiere ob accepta in praeliis vulnera, ut non plures viginti millibus hominum morte erepti sint. Eam ob rem qui superstites exstiterunt, adducti odio patriae, in qua ab universo Hunnorum exercitu esset tam infeliciter dimicatum, inde excedunt, alique alio, prout sua quemque tulit voluntas, ire contendunt. Adalarium itaque cum esset natus matre Germana nobilitate incluta, perrexit in Germaniam, ubi tandem diem obiit. Ita ob fratrum quam dixi discordiam cruentumque bellum Atilae ille numerosissimus exercitus, qui fuerat generi humano formidini, fuit partim morte deletus, partim versus in fugam, partimque ad diversa orbis terrae loca dispersus. At vero Angelus Acciaiolus Florentinus, vir multarum doctrinarum peritia nostra aetate insignis, atque alii qui ante eum scripserunt Caroli Magni vitam, tradiderunt: Hunnos fuisse ab illo deletos, uti nos supra de Francorum regno scribentes, operis huius libro quinto et quadagesimo ostendimus. Ibi nos docuisse meminimus ipsum Carolum, post subactas aliquot barbaras gentes in extremis magnae Germaniae locis habitantes, intulisse Hunnis bellum, octoque annos adversus eam nationem belligerando consumsisse; illosque tandem non modo superasse, verum etiam ita omnino delevisse, ut pristinae eorum potentiae nullum remanserit vestigium. Nec unquam alias Carolum cepisse arma, quibus plures hostium cecidissent; nunquam praeterea vel tot, vel tam pretiosa spolia aliunde, quam victis Hunnis in Galliam redeuntibus Francos transportasse. Eamque eodem libro dixi fuisse causam, ut Hunnorum deleta potentia, totius quoque gentis nomen deleteretur. Et ideo Scythae in Pannonias post annos trecentos reversi, nullam habentes nominis Hunnorum mentionem, ab eorum duce



et patria Hungaros se, et recuperatam Pannoniam cognominavere. Jam enim Hunnorum nomen etiam apud Scythicas gentes fuerat multo ante Hungarorum in Pannonias adventum extinctum; id omnino habet veritas. Sed ad intermissam redeamus historiam.

Non propterea tamen adeo absunta desertaque Pannonia fuit, ut inculta prorsus relinqueretur; fuerunt enim ex illarum copiarum reliquiis, quos taeduit exercitii militiae diuturnioris, qui neque Scythiam cum Chaba, neque Germaniam cum Adalario petivere. Perstiterunt igitur in patria, quam non ignorabant abundare copia complurium optimarum rerum, quae sunt usui humanae vitae necessariae. Cum indigenis feminis coniungere connubia, ex quibus suscepti liberi brevi coaluere. Dederunt operam ut agri diligenti cura colerentur; cum finitimis fuerunt eis benigna commercia; iuncta praeterea, quae inter vicinos esse solet amicitia. Accessit quod progressu postea temporum multi ex utraque Misia, et ex Dacia, atque magna Germania et ex propinquis aliis aliquot populis, soli feracitate adducti, ad eandem regionem, habitandi illic animo paulatim convenerunt, delegeruntque sibi prout fuit cuique placitum loca habitatu idonea. Ceterum, cum nemo dominatum apud ipsos teneret, perditae sine legibus proque suo quisque arbitrio vitam transegerunt. Cumque mire ubique per omnem longe lateque regionem populi multiplicarentur, nec sine moderatore possent honeste iusteque vivere, omnium consensu praeficiunt sibi virum quendam natione Sarmatam Suatopolugum nomine, qui apud eos habebatur singulari praeditus prudentia, eratque genere clarissimus. Maroto patri eius fuit nomen, qui et ipse in primis prudens et consilio belligerandique peritia magnus adeo erat, ut suorum temporum mortales omnes superaret. Eo ita principatum tenente Hungarorum exercitus, de quo mentio facta est, Pannonias ingressus est. Quibus cum incolae duce Suatopolugo armis occurrissent, commissa atrocissima



pugna haud procul a ponte Bomo,<sup>1)</sup> id enim est loco nomen, Hungari victoriam adepti sunt. Atque ita (in) Pannoniis Sarmatarum seu Scytharum natio rerum potita est.

Ostensis iam causis quibus est effectum ut Hunnorum exercitus deletus pene totus esset, ex quarum narratione eo usque nostram produximus orationem, ut doceremus alterum in Pannonias Scytharum, qui Hungari appellati sunt adventum; reliquum est ut demonstramus, quo ordine ac per quos, post occupatam eam regionem, eorum rempublicam Hungari usque ad sancti Stephani regnum administravere.

## Index VIII.

Paucis post annis eorum duce mortuo, cum exercitus tantus esset, ut unius viri imperio facile regi non posset, septem sibi viros ex omni multitudine constituunt, quos vocavere capitaneos, nos autem latina appellatione copiarum duces diceremus; divisisque in septem partes copiis, singulis eorum suos capitaneos praeficiunt. Erat inter eos vir et insigni corpore, et claritudine generis ac virtute omnium eminentissimus, Arpadus nomine filius Alomi, viri apud eam gentem summa auctoritate praestantissimi, qui ex Atilae genere ortus fuisse dicebatur. Constans autem fama tunc apud Hungaros erat, fuisse huic viro a matre auspicatum inditum nomen. Ante enim quam partu ipsum edidisset, vidisse illam per quietem affirmabant astutem avem ad illam volasse, seque insinuasse in illius uterum, ex quo fuisse mox ortum torrentem, nimio splendore coruscum, illudque magna cum luce fluxisse ad remotissimam quandam orbis terrae partem; ibique per-

<sup>1)</sup> iuxta mendosam Turócianae editionis lectionem, ubi „circa pontem Boni.“ Recte VP „circa pont. Bani iuxta Tatam“ et Keza: „iuxta Banhida.“



stittisse quidem, sed emisisse ex se undique radios, quibus loca omnia circumiecta lucem accipere videbantur. Quia vero Hunnorum lingua somnus vocabatur *alom*, natum ex se filium illam nominasse Alomum. Eius filius fuit ut diximus Arpadus, a quo postea Hungarorum regum praeclara progenies ordine quem hic explicabimus derivavit. Redeamus ad septem duces, seu ut illorum utamur vocabulo capitaneos.

Uniuscuiusque eorum exercitum tradunt continuisse armatorum triginta millia et quinquaginta supra septingentos.<sup>1)</sup> Cumque unicuique exercitui stans fuisset designatus castra metandi locus, ac propterea septem locari castra ipsos oportuerit, usurpavit vulgus, ut locus ubi septem illa castra posita sunt Germanorum lingua Sibenburg, id est septem castra appellaretur; idque loco nomen in hanc diem permansit. Paulatim postea vel interfectis, vel pulsis, ut nonnulli tradunt, vel quod est credibilius, in potestatem redactis habitatoribus, qui magna ex parte eiusdem erant cum auctoribus generis, ut credendum est, Arpadius ante ceteros duces pervenit ad montem qui Noe tunc appellabatur, in qua Hungariae parte suarum copiarum suaeque habitationis sibi locum elegit. Ibi interiectis postea temporibus beatus Stephanus Hungarorum primus huius nominis rex, qui ex genere defluxit Arpadi Albam urbem condidit. Ceteri capitanei, prout cuique satius est visum, sua et ipsi habitandi loca delegerunt. Ex illorum autem genere nobilissima quaeque hungarorum procerum familia orta est. Ubi deinde rem eorum Hungari haud mediocriter et auxerunt et firmaverunt, selecto e singulis exercitibus militum flore, domo egressi, armis propinquas regiones invadunt diripiuntque atque pervastant. Ita parta omnis generis praeda domum regrediuntur. Id autem ab illis eo factum est, ut Hungarorum nomen, quemadmodum et Hunnorum olim fuerat, terrori esset cunctis Europae nationibus.

<sup>1)</sup> Turócius: 30 millia virorum armatorum nec non octingentos quinquaginta septem. II. 2.



Aliquot post annis, cum eis christiana religio maxime esset invisā, adversus Italos, a quibus Christus ubique colebatur expeditionem suscipiunt. Parato igitur exercitu per Forumjulii Venetias proficiscuntur, in ea regione ferro atque igni omnia absumunt, urbem Patavium subiectis multis in locis incendiis totam comburunt. Excurrunt deinde in Lombardiam; eo namque nomine supra docuimus seculo nostro vocari Galliam Cisalpinam; eam autem regionem multipliciter vexant affliguntque. Diruunt enim plurimum nobilissimarum urbium aedificia, templa praesertim Dei et sanctorum; nulli sexui nulli aetati ac dignitati hominum parcunt; obtruncant Verecellensis ecclesiae antistitem; illius ac ceterarum ecclesiarum thesauros diripiunt. Ita crudelissima clade ubique edita cum inaestimabili praeda eo unde venerant rediere. Deinde interiectis annis, traductis extra Hungariam copiis adversus Saxones, a quibus nunquam fuerant antea vel levi lacesiti iniuria, arma suscipiunt. Quibus victis in Thuringos se convertunt; mox in Suevos postea in Francos et Burgundiones, inque alios multos et Galliarum et Germaniae populos. Tantus tunc Hungaros favor fortunae aspexit, ut nullum unquam cum hostibus commiserint praelium, de quo non fuerint gloriosam adepti victoriam. Ita fiebat, ut omnes Europae nationes audito Hungarorum nomine exitium sibi metuerent. Gentibus autem quas commemoravi, non sine miserabilibus caedibus superatis, patriam pretiosissimis onusti spoliis petiere. Vicesimo dehinc anno duce Opourdo, id enim erat viro nomen ingressi utramque Misiam, omnia longe lateque populantur. Ingrediuntur et Thraciam, perque eas excursionses et varias et infestissimas facientes perveniunt ad urbem Constantinopolim, quam aliquot diebus circumsederunt. Sed animadvertentes frustra se niti, vasta namque et populosissima civitas, neque brevi neque facile expugnari posse videbatur. Inde vastato agro discedunt quidem, sed universae Graeciae inaestimabili illato detrimento. Haec et alia permulta, dictu audituque terribilia atque admira-



tionem dignissima feliciter gessere Hungari, non modo sub septem illis copiarum, de quibus est facta mentio, sed sub aliis quoque ducibus, qui illis successere, quorum imperiis paruerunt, ex quo tempore sibi subegere Pannonias, usque ad Toxum, virum profecto singulari virtute praestantem, ex Arpadii ductum genere. Eo namque duce administrata est res eorum publica magna fide ac summa prudentia ad tempestatem usque Geichae patris Stephani regis, de quo habenda hic est mihi mentio. Ceterum prius est demonstrandum qui qualesque ipsum parentes genuere.

## Index IX.

Toxi cuius modo memini filius fuit Geicha, dux et ipse Hungarorum. Fuit is vir Deo in primis acceptus, coelo et immortalitate dignissimus. Primus namque Hungarorum omnium credidit in Christum, eiusque obedivit evangelio. Quod Dei beneficium quemadmodum illi contigerit, ita constat ex eis, quae scriptores vitae beati Stephani Hungarorum olim regis tradiderunt.

Cum primum Geicha coepit res hungaricas administrare, multa egit severe atque crudeliter cum adversus populares suos, tum praecipue adversus finitimos, et alios multos homines, qui negotiandi gratia in Hungariae civitatibus commorabantur; cum christianis autem egit mitius. Cum enim pro quadam ingenii sui solertia quaesivisset et multis peregrinis, quaenam qualisque esset religio christianorum, accepissetque tandem multa de ipsa, quae ab ipso iudicata sunt probatu veneratuque digna: non modo non saevendum in illos censuit, ut saevitum ab eius maioribus fuerat, sed transmissis etiam literis dataque fide publica illos undecunque potuit ad se accersivit. Quibus perhumaniter susceptis, multisque ultro citroque de Christi cultu dictis, ad extremum fecit eis potestatem, ut Christum libere colerent, utque illis liceret ubicunque vellent christia-



nas erigere ecclesias. Inter haec quadam nocte visa est illi per quietem mulier pulcherrima,<sup>1)</sup> circumsepta lumine quam multae speciosae virgines comitabantur. Ea his ipsum verbis allocuta est: „Bono esto animo Geicha, ego sum Maria illa intacta virgo, quam christiani homines tibi dixerunt esse Jesu Christi filii Dei matrem. Nosse te volo, filio meo tuum erga eius cultores animum gratum acceptumque fuisse. Ob honorem igitur quem illis impendisti, praemia ipse tibi reddet cumulatissima. Maiores, quorum genere tu exortus es in tenebris, id est mentis oculis capti, versati sunt; quippe qui nulla habita veri Dei cognitione, a via deviavere veritatis. Pro temporali igitur honore. singulari Dei dono inspiraberis coelesti lumine, quo effugata omni mentis caligine, Deum qui te creavit agnosces. Et quod nunc te latet scias, te suscepturum ex uxore filium, qui regis appellatione dominabitur Hungaris, eritque veri Dei praecipuus cultor. Ob ingenii vero excellentiam atque sui regni administrandi scientiam, atque ob miram vitae sanctitatem suum seculum, christianamque religionem, ac suam patriam et hungaricae nationis nomen haud mediocri apud Deum et homines laude exornabit. Ego autem ob ipsius excellentia apud meum filium merita tibi polliceor fore me regni tui fautricem, patronamque praecipuam. Ceterum hoc tibi est cura intentissima agendum: Est in Bohemia vir morum integritate christianaque doctrina et ecclesiastica dignitate insignis Adalbertus nomine. Huic Deus inspiravit mentem et animum ut veniat in Hungariam, tibi tuaeque genti viam consequendae verae salutis ostensurus; hunc tu humane benigneque suscipito, quaecunque autem docuerit, et audito attente, et agito diligenter.“ Haec ubi dicta sunt, imago illa veneranda discessit, somnoque Geycha solutus incredibili gaudio laetitiaque afficitur, nec minus laetanter animo sibi proponit, ea se velle

<sup>1)</sup> In Legenda Maiori et Hartviciana „juvenis delectabilis aspectu.“ Font. I. 37. Ex his excerpit sua Pelbartus etiam.



exsequi obnixissime, quae ei per quietem beata Virgo svaserat.

Eadem praeterea nocte illius uxori quiescenti visus est iuvenis magna luce resplendens,<sup>1)</sup> amictus veste qua solent ornari diacones, quum diebus festis apud christianos rei divinae — hoc est missarum — mysteria celebrantur. Quam allocutus: „Ego inquit sum Stephanus, qui ob veritatis testimonium mortalium omnium primus mortem corporis pro Jesu Christo beatae Mariae Virginis filio passus sum; quam ob rem ab hominibus christianis protomartyr appellor. Illius imperio tibi, ut per quietem nunc vides apparui, qui hoc tibi nuntiarem. Non multis post hanc horam diebus evangelium tibi per Adalbertum pragensis ecclesiae antistitem praedicabitur. Itaque veri Dei fide ac religione accepta, tu virque tuus, ac multi e popularibus vestris sacrum baptismum suscipient. Ita mente illuminati Deoque gratiosi redditi digni eritis Deo atque mortalibus acceptissima sobole. Paries enim filium, quem ex sacro fonte baptismi ex meo nomine vocabis Stephanum. Is in hoc erit mihi similis, quod sicut ego omnium discipulorum Christi fui primus martyrii corona decoratus in coelis, ita ipse primus erit hungarorum principum, qui in terris et titulo et diademate regio decorabitur. Erit autem Deo hominibusque dilectus, et ob laudem dignam regni administrationem, atque ob sanctae vitae merita, immortalem sibi memoriam comparabit.“ Haec ubi dicta mulier audivit, expergefata secum volutare mente coepit, quid sibi vellet eiusmodi somnium; veri ne videlicet aliquid afferret, an aliquid inane, cui nihil esset fidei habendum. Ceterum quum primum illuxit viro ordine refert, quae somnians et viderat et audiverat. Nec minus vir coniugi narravit quod somniaverat. Laeti igitur illi et prae rei promissae tum novitate

---

<sup>1)</sup> Hartvicus visionem hanc uxoris post adventum et praedicationem Adalberti, contigisse scribit: „uxorem eius iam propinquantem partui.“ Font. I. 37.



tum magnitudine stupefacti rem eorum, qualiscunque esset eventura divino commisere consilio.

Eis deinde exspectantibus, miroque sperantibus desiderio, ut divina in ipsis adimpleretur providentia, venit in Hungariam Dei servus Adalbertus, de quo paulo ante mentionem habuimus. Exceptus est ab Geicha perbenigne, et omni quo decuit honore et reverentia. Postea vero quam inter se communicaverunt quae rei, cuius causa divina iussione venerat sanctus antistes, visa sunt utilia, Geicha eiusque uxor nihil morati ad suscipiendae christianae pietatis sacramenta vehementer inflammantur. Quid multis opus est verbis? constitutus est dies, quo et ipsi,<sup>1)</sup> et multi viri nobiles multique alii tum mediocris tum humilis generis homines sacro baptismate in Christo renati sunt. Voto se tunc fecit obnoxium iureque iurando promisit Geicha, quamprimum daturum se operam, ut omnes ditioni suae parentes populi exemplo suo Christi cultores efficerentur. Omni itaque via modo arte diligentia curat, ut voti fieret compos. Multi ipsum secuti sunt, sed pene innumeri imitari sanctum eius propositum recusaverunt; idolorum enim cultui servire malebant. Cum igitur illi nulla tanti principis habita ratione non desinerent versari in errore illo tenebrarum; animadvertit prudentissimus princeps armis opus esse, quorum vi illorum domaretur et ferocitas et perdita audacia. Sed cum non essent ei tantae vires, quibus fieret a se facile quod rei exigebat necessitas; clam dat literas ad plerosque principes christianos, per quas aperit laudabile suum sanctumque consilium. Ac propterea petit, ut in tanta rerum mole sua quisque idonea mittat auxilia. Mittuntur igitur undique in Hungariam christianorum principum copiae. Ex ipsis quoque principibus nonnulli confluunt, non solum ut ferant, viro christianissimo opem; verum etiam ut videant submitti iugo Cristi colla

---

<sup>1)</sup> Legenda Maior Geizam ante adventum S. Adalberti baptismatum fuisse scribit. Cap. II. §. 3. p. 36.



ferocis efferataeque nationis. Illius namque nomen toti Europae tunc erat invisum ac formidolosum; christianis praecipue populis, in quos superioribus temporibus crudelissime saevierat.

Illud vero nosse volumus cunctos qui scripta nostra haec legerint, multos e Pannonibus illis veteribus, qui fuerunt antiquis temporibus christianis, non prorsus a Christi cultu abhorruisse. Id eo potissimum possumus perfacile coniecere quod de beato Martino ecclesiasticis scriptoribus traditur, a Gallo praesertim et Severo, qui proferunt sub illius disciplina, et de sancta vita mirisque illius operibus prolixum egregiumque volumen condidere. Tradunt hi natum illum fuisse Sabariae, quod est Pannoniorum oppidum, exstatque adhuc, et vetustum eius nomen perseverat in hanc diem. Illumque affirmant cum annum ageret aetatis decimum, ad ecclesiam invitis parentibus confugisse ut fieret catechumenus. Ea igitur coniectura possumus quam facillime assequi, fuisse iam tunc constitutas per Pannoniae civitates a sanctis maioribus nostris ecclesias, in quibus christiani sacerdotes sacramenta salutis, cunctis qui ea petivissent conferebant; adulti namque tunc homines non parvuli baptizabantur. Invasis tamen Pannoniis, prius ab Hunnis postea ab Hungaris quibus erat invisum christiana religio, desierunt esse in civitatibus ecclesiae, propterea quod illae gentes impiae partim trucidatis, partim ad fugam compulsis, partimque a veri Dei cultu, ob metum aversis hominibus nostris, quidquid fuerat in Pannoniis christianae pietatis, deleverunt. Remansit autem eiusce nationis impietas usque ad Geicham, de quo hoc loco nobis est mentio.<sup>1)</sup> Multi tunc nobilitate generis inelyti viri e diversis orbis locis Hungariam petivere. Eorum autem aliquot pellekti amoenitate

---

<sup>1)</sup> A secundo ingressu Hungarorum in Pannonias intercedunt anni 225 usque ad Geysam patrem divi Stephani baptizatum. n. m. Vide Ind. VII.



regionis, posteaquam peracta res, cuius causa fuerant accersiti, eo redire unde venerant noluerunt. Namque affinitate indigenis coniuncti, quod reliquum vitae cuique fuit, egerunt in Hungaria.

Sed redeo ad id unde excesseram. Intra paucos annos, tot millia externorum militum convenerunt, ut Hungaris a Christi cultu abhorrentibus essent illi armis ac numero longe superiores. Dum vero ea auxilia comparantur, Geicha suscipit filium ex Sarolta Giulai viri nobilissimi filia anno ab ortu Domini nostri, generis humani salvatoris sexagesimo nono supra nongentesimum. Hic est beatus ille Stephanus, de quo mentionem hoc loco me facturum paulo ante pollicitus sum; qui postea ad regiae dignitatis culmen evectus omne vitae suae tempus bene sancteque peregit, ut infra suo loco memorabo. Hunc vir quidam, qui ex Campania<sup>1)</sup> cum suis venerat auxiliis, Adeodatus nomine, ortus ex genere clarissimorum comitum Sanseverini, et Adalbertus de quo supra facta est mentio, de sacro baptismi fonte levaverunt. Ipse autem Adeodatus aliquot post annis condidit coenobium, quod ab eius nomine Tatta cognominatum est. At vero Adalbertus functus in Hungaria suae legationis officio Deo quoque inspirante in Prusiam proficiscitur. Est ea regio in Europaea Sarmatia, cuius tunc incolae idolorum erant cultui dediti. Cumque vir Dei magnam Prutenorum partem ad Christi fidem convertisset, ad extremum, repugnantibus eius doctrinae aliis eiusdem patriae populis, interfectus est. Eius corpus aliquot ex eis qui per ipsum evangelio crediderant, religiose sepelierunt; quod fertur multis claruisse miraculis.

Coactas quas dixi copias Geicha divisit, ac per universam Hungariam idoneis in locis disposuit. Itaque ubi animadvertit advenisse iam opportunum tempus quo exsequeretur quod animo conceperat; per praeconem suum

---

<sup>1)</sup> Hunc Keza praeterivit, ceteri Chronicorum scriptores ex Apulia illum deducunt.



patefacit animum, commonefacitque Hungaros universos, eisque imperat ut ab errore in quo versabantur resipiscentes, suscipiant veri Dei religionem, quam divina afflatus inspiratione ipse susceperat. Nolle se pati ulterius ut sui populares vagentur per tenebras, seque ipsos perdant diabolo servientes, cum quo essent aeternis suppliciis cruciandi. Qui ea salutifera monita visionesque despexerint, ii nihil exspectent aliud, quam ut ad unum trucidentur; se iam ad id habere arma. Et si quis ante nesciverit, sciat nunc ea de causa tanta ad se a Christianis principibus missa auxilia. Ita brevi effectum est, ut pars metu, pars salubri adducti consilio in Christum universa Hungaria credens christianae fidei sacramenta susceperit. Erecta igitur ubique Dei et beatae Mariae Virginis et ceterorum sanctorum templa; constituti praecipuarum ecclesiarum antistites et presbyteri, ceterorumque ordinum sacerdotes, qui Dei laudibus inservirent; christianae leges ac ritus, sacraeque caerimoniae inductae; sanctorum patrum decreta servari coepta. Constituta praeterea ea, quae sunt usui humanae vitae necessaria, ex quibus clerici honorifice in suis ecclesiis viverent.

Inter haec Stephanus intentissima parentis sui cura, sub educatore sibi adhibito, qui ad id esset idoneus, primam aetatem innocenter agebat. Erat adeo egregiae indolis, ut specimen quoddam cunctarum virtutum prae se ferre videretur. Ubi autem adolevit, ita coepit exercere vitam virtutum operibus, ut neminem fefellisset ea, quae de ipso fuerat probitatis exspectatio. Tanta eius humanitas, ut omnium hominum generi carus esset, et incredibiliter amoenus atque iucundus. Mira morum qua pollebat elegantia perquam facile effecit, ut omnium animos in sui converteret admirationem. Tanta inerat ei vis ac dexteritas ingenii, tantusque ac talis incipientis cuiusdam prudentiae vigor, ut prudentissimus quisque natum ipsum ad regnum arbitraretur. Christianae pietatis supra quam dici potest cultor admirabilis. Cuius rei satis superque fuerit



hoc nunc, et quidem memoratu dignum exemplum adferre. Adolescentulus cum accepisset permultos Hungarorum Christum simulate colere, propterea quod sacri baptismatis undam metu adducti susceperant; sua ipse diligentia id egit ut plerique illorum in Christum ipsum omni sublata fictione, crediderint.<sup>1)</sup> Quippe sumtis christianis armis, fide videlicet ac spe, et ea quam docuit evangelium charitate, nunc hos nunc illos ad se accersivit. Aperuit eis sensum divinarum scripturarum, et iuxta beati apostoli Pauli doctrinam, arguendo obsecrando increpando tandem consecutus est, ut in omni Hungaria perpauci remanserint qui veri Christi cultores effecti non essent. Itaque non minus fuit ipse, quam suus parens adeptus; cum quod ille armis, hic amore, divinitus ei data sapientia fecerit. Mortuo postea eius patre pie ac religiose, et ea in Deum fide qua decuit mori christianissimum principem, ipse in illius opus successit, ducisque nomine ut ille alique ante illum rem Hungaricam administravit.

Per id temporis occurrit ei necessitas gerendi belli adversus Cupam Simigiensium ducem, cuius tunc magnae erant opes, et potentia formidabilis. Suscipiendi autem belli causa iustissima fuit. Tentavit omni cura matrimonio sibi iungere Saroltam ipsius matrem, quamquam erat illi consanguinitate propinqua. Id vero tentavit eo animo, ut praetextu execrabilis coniunctionis tenderet insidias, quibus Stephanum adhuc adolescentem interficeret. Quod ubi esset factum, nihil sibi restare arbitrabatur, nisi ut ipse mox Hungaria potiretur. Id ubi rescivit Stephanus, forti animo parata expeditione contra illum profectus, praelio illum vicit. Adeptam autem victoriam tribuit ipse beati Martini meritis, quem dicebat suum apud Deum patronum esse praecipuum; ideoque sperare se illius precibus, multa a Deo quae peteret, facile impetraturum. Haud multo inter-

<sup>1)</sup> Leg. Minor Stephanum haec post mortem patris egisse refert. Vide Font. I. pag. 3.



iecto dein tempore cum Hungariae optimatibus placuisset, ut qui titulo ducis tot praeesset populis, totque viris generis claritudine auctoritateque magna insignibus, uteretur magis honorata appellatione, regiam elegerunt dignitatem. Ceterum ad eam evehendum neminem nisi Stephanum; quippe iure successor fuerit paternarum opum, atque ita duxisset anteactam vitam, ut solus natus ad regnum fuerit prudentum omnium sententia iudicatus. Omnium igitur miro consensu et applausu eligitur appellaturque ipse rex, ac regia corona regum more donatur.<sup>1)</sup> Quamdiu tenuit regnum, praeterquam quod sapienter et christiane, hoc est pie sancteque vitam instituit, nihil quoque praetermisit, quod optimi regis officio congrueret.

Susecepit gessitque bellum adversus Giulam avunculum suum, non eo solum quod infestabat fines Hungariae, sed quod etiam abhorrebat a Christi cultu. Et licet illum persaepe monuisset, rogassetque ut patienter accommodaret aurem documentis salutis, quibus perfacile posset agnoscere veritatem; ille tamen et deridebat regem, et pia eius monita despiciebat. Erat ille dux regionis quam vocitant Transsylvaniam propterea, quod eos qui illam adeunt ex Hungaria per silvosa loca perque arduos montes facere iter oportet. Cumque regio ipsa abundet laudatarum rerum maxima copia, argenti praesertim et auri; fiebat ut Giulae opes non essent minimi faciendae, ac propterea esset adeo potens, ut novellum Hungarorum regem auderet facile ac superbe contemnere. At vero Stephanus primum Christi, deinde temporalibus armis fretus, loca illa aditu difficilia magno animo penetrat, ac tandem collatis signis commisso proelio illum superat capitque, et cum uxore duobusque filiis mittit in Hungariam, ut carcere adservaretur. Ipsam vero Transsylvaniam non modo coegit ut suo pareret imperio, verum etiam subigi ex eo tempore voluit illis, qui in regnum Hungariae deinceps succederent.

<sup>1)</sup> Leg. Maior et Hartvicius Stephanum non ab optimatibus electum, sed a pontifice regem appellatum fuisse tradunt.



Aliud deinde bellum ei fuit contra Ceanum Bulgarorum et Sclavonum potentissimum ducem, qui ausus hostiliter ingredi Hungariae fines, multorum oppidorum agros populatus est. Praelio illum vicit et interfecit, ne perditae audaciae homo aliquid simile si vixisset postea moliretur. Ex thesauris autem, qui illi fuerant pretiosissimi, maximam partem dono dedit ecclesiis, quas ipse in diversis regni sui locis magnifice condiderat, splendideque exornaverat. Inter ceteras vero ecclesias, Albensem longe pluribus et magis eximiis, potioribusque dotavit muneribus, propterea, quod ante eiusce victoriam, in illis consecrari fecerat honorem,<sup>1)</sup> quam constat esse sanctorum omnium beatissimam. Multa praeterea ex spoliis illis distribuit Christi pauperibus. Egenorum namque et pupillorum viduarumque et virginum fuit dum vixit consolator, patronus adiutor praesidium refugium levamen singulare. Eiusmodi hominum generis causa deferre ipse solebat sacculos nummorum plenos, ut illos haberet in promptu, quoties ei aliquo procedenti occurreret quispiam cui eleemosyna erogaretur. Apud Budam veterem, quod oppidum olim nobile fertur Bleda Atilae frater, ut ante dictum est condidisse, struere coepit amplissimam basilicam, et ei coniunctum coenobium in honorem principum apostolorum Petri et Pauli. Quod opus morte praeoccupatus non absolvit; perfectum tamen postea fuit a beato Ladislao rege et ipso Hungarorum, qui ex sancti huius genere ortus est, ut infra suo loco memorabitur.

Uxor ei fuit Ceissa vel Cheila<sup>2)</sup> natione germana filia Geltrudae matronae, suo seculo multis virtutum generibus insignis. Ex qua plures suscepit filios, quos omnes

---

<sup>1)</sup> Tempore exequiarum S. regis „ecclesia beatissimae virginis ab ipso constructa nondum erat dedicata. Inito consilio statuunt pontifices prius basilicam sanctificare, deinde corpus terrae commendare.“ Ex Leg. Maiore Hartvicius. Font. I. p. 62. <sup>2)</sup> Hanc Kyslam vocat Keza, chronographi ceteri Keislam, vel Keslam.



virtutum meritis Emericus absque controversia vicit. Fuit enim excellens ea vitae integritate ac sanctitate, ut in omni virtutum genere esset parenti simillimus. Eam ob rem beatus Stephanus ea ipsum caritate complectebatur, ut nihil supra facile dici posset. Deceverat religiosissimus rex abdicare se regno, seque separare ab hominum frequentia, quo divinarum rerum meditationi posset inservire liberius; regni vero curas Emerico demandare instituerat. Ceterum dum talia secum mente volutat, divino consilio aliter decernitur. Repente namque Emericus in adversam incidit valetudinem, eaque paucis post diebus correptus moritur; pie plane, ut credere par est de viro, qui vitam transegerat sanctissime. Eius obitum adeo moleste rex tulit, ut morbum et ipse contraxerit quam gravissimum; ex quo per diu ac non sine vitae maximo periculo laboravit. Doloris causa erat, quod animadvertibat, e suis inveniri posse neminem cui amplissimi regni sui administratio demandaretur. Maxime autem eo angebatur, quod non occurrebat ei via, qua nancisceretur hominem quempiam, a quo christianus cultus nuper susceptus ab Hungaris pertinaci opera conservaretur. Sed placuit immortalis Deo, ut regem ipsum sineret tantisper vivere, ac regnum tenere, dum novelli christiani in fide quam acceperant satis confirmarentur. Quamdiu tamen fuit in vita multiplicibus morbis vexatus est. Tandem omnibus aegritudinum molestiis atque doloribus magno animo miraque patientia superatis anno humanae salutis tricesimo octavo supra millesimum<sup>1)</sup> piissime mortuus est XVIII Kalendas Septembris, quo die celebratur ab ecclesia christiana solennitas Assumptionis beatæ Mariæ Virginis. Sepultus est in Albensi illa basilica, quam ipse ut ante dictum est in eiusdem beatæ Virginis

<sup>1)</sup> Chronica nostra maiora de anno S. regis emortuali nihil. Zagrabiense annum 1034 memorat. Eundem habent annu recentiores Bonfinius et Pelbartus. Noster Turóciū sequitur, et Hartvicum Pestiensem.



honorem erexerat, ubi et beatum Emericum eius filium sepeliri fecerat, structo illi regii operis sepulcro, in quo requiescit. Claruit post mortem innumeris miraculis, quae commemorare non est mei instituti, qui epitomen, non prolixam scribo rerum Hungararum historiam.

Ob ipsius obitum omnis Hungaria multis annis, incredibili fuit affecta mestitia. Qui enim sub tanto rege aurea secula redisse in Hungariam, antequam exstingueretur gloriabantur, in multa postea rerum discrimina inciderunt; quod perfacile intelligere quisque poterit, ex iis quae infra ostendentur. Regnavit annos septem et quadraginta,<sup>1)</sup> seu ut malunt alii sex et triginta.<sup>2)</sup> Vixit annos tres et sexaginta. Agens aetatis annum tertium et tricesimum urbem Romam petivit, ut beatorum apostolorum Petri et Pauli aliorumque martyrum Christi sacras reliquias viseret, utque maximo pontifici exhiberet reverentiam et obedientiam, qua iure illi erat obnoxius. Hactenus de beati Stephani regis parentibus, ortuque et baptismo ac regno gestisque ab ipso rebus; deque vitae sanctitate et obitu scripserim. De illis qui ei in regnum successere, hinc dicendum est.

## Index X.

Tenuit post eum regnum Petrus, suus ex sorore nepos. Huic pater fuit Wilhelmus natione Germanus, frater Sigismundi Burgundorum ducis. Is maxime invisus Hungarorum populis fuit. Nam cum esset Germanus, seu mavis dicere Teutonicus, nonnisi per suae nationis homines regni magistratus geri voluit. Minitabatur praeterea modo viveret diutius, hoc se obnixè curaturum, ut nullus posthac Hungarorum, sed soli Teutones, ad dignitates et honores evererentur. Id permoleste ferentes Hungari, tertio ex quo

<sup>1)</sup> Cum Genealogiae Regum codice Toldyano vide supra. <sup>2)</sup> Turócius 37-o regni anno defunctum scribit.



regium diadema susceperat anno, vi facta, regno ipsum populere. Ipse autem in Germaniam ad Henricum imperatorem confugit. Ecclesiarum vero antistites, ceterique regni primores, quibus hoc erat curae, abdicato Petro regem sibi constituunt Albam fratrem Cheilae, quam supra ostendi beati Stephani uxorem fuisse. Sed hunc quoque Hungari ingenti odio persecuti sunt, propterea quod despecta nobilitate, erat ei cum humili sordidoque loco natis hominibus consuetudo. Admonitus vero, cum non minus inter illos assidue versaretur, indignata nobilitas, curat ut auxiliis imperatoris pulso occisoque Alba Petro regnum restitueretur. Id ubi est factum, cum Petrus non solum ad pristinam rediisset insolentiam, sed multo etiam execrabiliora in Deum hominesque committeret; denuo rebellatum est, adeoque saeviit in ipsum Hungarorum indignatio, ut ad extremum ipsum interfecerint. Ceterum non prius aliquid attingam de successore, quam repetam pauca quaedam scitu ad res, quos sum his scripturus, pernecessaria.

Vir quidam hungarica nobilitate praeclarus Andreas nomine, una cum duobus suis fratribus Bela et Leventio, cum orti essent ex beati Stephani genere, nec aequo animo perpeti possent Petri regis tyrannidem Hungaria excessere.<sup>1)</sup> Modoque haec modo illa loca peragranter, praestolabantur temporis opportunitatem ac viam, quibus a maligni hominis potestate patriam eriperent. Cum igitur essent in regione quam vocant Comaniam, nec Petrus a saevitia superbiaque illa Germanica desisteret, quotidieque cumularet mala malis; Hungariae optimates missis fidelibus nuntiis

---

<sup>1)</sup> Filios Vazul non ob metum Gislæ reginae, sed Petri potius iam regnantis ex patria profugisse scribit Bela IV rex anno 1247. in donatione pro Ladislao filio Lonya: „quas etiam possessiones per literas primi Belæ regis qui dum in partibus Poloniae propter Petrum qui nomen regis sibi potenter Hungariae adscripserat pro tempore mansisset etc.“ Cod. Diplom. IV. 1. pag. 393.



indicant eis advenisse iam rei gerendae liberandaeque patriae tempus maxime opportunum; veniant quam celerime non est expectandum diutius; paratos iam esse, qui cum ipsi adfuerint, capiant adversus truculentum tyrannum arma. Veniunt illi quanta maxima cleritate fieri potuit. Cumque propinqui essent oppido cuius conditor fuerat Alba Castrum novum nomine, ingens multitudo duce Vata, id namque nomen illi erat, offert eis laturum se contra regem opem, modo permetterent ut abiecto Christi cultu, ad idola colenda, quemadmodum fecerant iam pridem eorum maiores, reverterentur. Erat Vata peritus artium magicarum, et idcirco diaboli servitute tenebatur. Eo itaque adhortante dicebat multitudo, christianae religionis intolerabile iugum se ulterius ferre neque posse, neque velle si possent; velle se vitam agere liberius; durissimum eis esse, clericis quotannis rerum decimas solvere; ideoque se velle grassari in persecutione christianorum, cum nomen atque religio Christi fuerit patribus ex quibus orti sunt semper invisa. Andreas quamquam erat christianus, sibi tamen timens, ne ingens illa impiorum hominum manus in ipsum faceret impetum, simul adductus terreni regni cupidine, facile permisit, quod illi petiere, ea tamen adiecta lege, ut adversus regem, rem fideliter ac strenue gererent.

Ea licentia freti facto agmine in christianos homines illico gravissimam movent persecutionem. Multa tunc nobilia Dei et sanctorum templa diruta ac solo aequata; trucidati cuiusque ordinis et utriusque sexus pene innumeri homines. In his magna fuit multitudo clericorum; aliquot episcopi; in quibus fuit vir sanctitate insignis Gerardus Canadiensis antistes. Dum haec aguntur Andreas fretus Albae eiusque sectatorum consiliis, Petrum capit, iubetque illi erui oculos, ac duci ad urbem Albam, ubi haud multo post vita excessit. Ceterum curavit Andreas ut sepeliretur in Quinque-Ecclesiis, in quo oppido struxerat ille nobilem basilicam in honorem beati Petri apostoli. Regnavit primum quidem annos tres postea vero quam fuit restitutus in



regnum, duobus et mensibus rex. Enumerandi hinc mihi sunt, qui post ipsum, regnum usque ad beatum Ladislaum ordine tenuerunt.

## Index XI.

Petro successit Andreas cuius est modo habita mentio, qui fuit uno Hungarorum omnium miro consensu electus regiaque donatus corona anno salutis humanae quadragesimo septimo supra millesimum, qui fuit annus a beati Stephani obitu undecimus. Is ubi omnia diligenter et fortiter prudenterque pacavit, dedit operam ut multitudo, cui ut ante dictum est permiserat idola colere, ad Christi cultum rediret. Interitum itaque minatur cunctis, qui non vixerint ritu atque cerimoniais sanctisque legibus, quibus vivendum suis popularibus beatus Stephanus constituerat. Eius iussis universi Hungariae populi, pars metu percussi, alii adducti errati poenitentia illico paruerunt. Aedificavit monasterium haud procul a lacu Balatini, in loco quem accolae vocitant Thionem, in honorem beati Aniani; ubi postea suum obiens diem sepultus est. Duxit uxorem filiam magni ducis Ruthenorum, qui et dicitur Moscoviae; ex qua duos suscepit filios, Salomonem et David. Anno autem ex quo regnare coeperat duodecimo cum esset senio confectus Salomonem filium quintum aetatis annum agentem declaravit regni successorem. Quae res ut haberetur multo firmior, apud nobilitatem Hungarorum hoc per amicos effecit, ut puer more superiorum regum inunctus coronaretur, destinata illi uxore, Henrici imperatoris filia. Id autem fuit supra quam dici possit Belae, ipsius regis fratri, molestum; de quo indice superiore meminimus. Quo tempore ea in Hungaria agebantur, erat Bela in Polonia apud eiusdem regionis ducem, cuius filiam matrimonio sibi iunxerat. Soceri igitur adiutus copiis, bellum adversus Andream gesturus in Hungariam proficiscitur. Coactis et Andreas copiis fratri obviam procedit. Multis deinde commissis prae-



liis ad extremum rex a Bela superatur et capitur traditurque custodiendus curae nonnullorum, quos sibi fidissimos ille existimabat. Sed parum diligenter custoditus, fugit quidem Andreas, sed ingressus silvam, quae viae erat proxima, sive quod esset nimium de via defessus sive ob dolorem, cum esset a plerisque suorum desertus, mortem obivit, et in basilica monasterii, quod dixi ipsum aedificasse, Bela permittente sepultus est. Justissime profecto permisit immortalis Deus, ut Andreae ita regno pulso vita eriperetur, qui ut regnum adipisceretur temporale, passus est tot christianos a cultu declinasse divino; utque ab hominibus impiis tot millia cultorum Christi occiderentur, et sacrae aedes diruerentur.

Bela itaque victor in urbe Alba omnium favore rex appellatur, inungitur, coronatur, magnaue tranquillitate regnum administravit. Cudi fecit argenteum nummum, constituit mensuras et pondera, quibus in emendis vendendisque rebus sui populares uterentur. Stabilivit et rerum venalium pretia, quae transgredi haudquaquam liceret. Loca praeterea diversa ordinavit in una quaque civitate, ad quae res quoque diversae venditionibus exponendae, comportarentur. Salomonem nepotem, quem dixi ab Andrea patre regem fuisse coronatum, pie servavit, suaque impensa docuit aluit; ignovit et eis, qui illius favebant partibus. Eo rege universi Hungariae populi mire locupletati sunt; tanta pace tantoque ordine ac diligenti cura regni sui rem administrare studuit. Struxit monasterium in sancti Salvatoris honorem, in loco qui Hungarorum lingua dicitur Zewkzardum, ubi postea mortuus sepultus est. Ab eo permulti e vulgo, adducti consilio nonnullorum, quos alias seduxerat Vata homo ille sacrilegus, quem supra dixi magicarum artium calluisse peritiam, petiverunt: ut eis ad colenda idola regredi liceret, quemadmodum et Andreas ante permiserat. Sed ipse congregatam ad se multitudinem illam, veluti eis quod petebant vellet annuere, a militibus, quos ad hoc armis instructos in locis idoneis latenter disposue-



rat, ad unum interfici iussit. Periit morbo quem contraxit ob ruinam solii, in quo ius dicens sedebat. Omni qua par fuit pietate Deo reddidit animam. Praefuit regno annos tres.

Licet autem ei fuerint duo, magno ingenio atque animo filii Geissa et Ladislaus; neuter tamen illorum successit in regnum, sed Salomon cuius supra mentionem habuimus. Ope namque imperatoris, soceri sui Hungarorum optimatum suffragio Albae electus est rex, ac denuo coronatus. Gessit bellum adversus Cumanos, gentem ferocem et a religione christiana abhorrentem; quos auxilio Geissae patrum sui perdomuit. Gessit et bellum cum Bohemis, quae et ipsa efferata immanisque natio est. Quae irrumpens in Hungariam, perque multa loca habitatoribus frequentia excurrens, ingentem praedam domum reportavit. Contra quam gentem auxilio quoque ei fuit Geissa una et Ladislaus illius frater, quorum armis salubrique consilio victoriam assecutus est. Paucis dein interiectis annis Geissae paravit insidias, per quas incautus trucidaretur. Adductus enim pravis quorundam consiliis, quos apud se domi tenebat, a quibus regi se patiebatur, flagitiose et inique vitam agebat. At vero Geissa de insidiis factus certior, omnino sibi proponit, ut eam iniuriam non impune abire patiatur. Comparatis igitur copiis cum Ladislao fratre ire adversus regem contendit. Nec mora intra paucos dies, absque multo suo ac suorum discrimine, ipsum praelio superat; cum paucis tamen e suis, victus rex fugit, transmissoque Danubio petit primo Mosonium, deinde Posonium, in quo oppido mater uxorque eius commorabantur. Eum ubi mater aspexit, animadvertit ingenti affectum dolore, ipsum verbis accusavit asperioribus, quod nimium, et plus quam decuit, hoc est usque ad suum exitium, et ad extrema gentilium suorum pericula, improborum hominum veneniferis auscultasset consiliis. Regnavit annos XV.

Eo itaque fugato regiam dignitatem Geissa adeptus est. Fuit is vir christianissimus, ideoque evangelii zelator praecipuus. Struxit apud Vaciam nobilem in honorem bea-



tae Mariae Virginis aedem, ubi post obitum sepultus est. Dotavit eam donis regia beneficentia dignis. Ecclesiae quoque Budensi dona et multa et pretiosissima tribuit. Ob virtutes multas, quibus fuit eximie praeditus; quia praeterea fuit ipsius haud contemenda potentia, regem Magnum ipsum Hungari cognominaverunt. Salomoni, quem regno fugaverat, decrevit partem sui dominatus tradere, ne vitam ille miseram agere compelleretur. Sed nequam id permisit immortalis Deus, qui in terris distribuit pro sua voluntate imperia. Ante enim quam exsequeretur quod decreverat, incidit in gravissimam valetudinem, qua intra paucos dies extinctus est. Regnavit annos tres. Hinc ad beati Ladislai regnum transeundum est.

## Index XII.

Post Geissae mortem Hungariae primates se conferunt ad Ladislaum ipsius fratrem, cuius mentio supra habita est. Quem invitum nimiumque renitentem, regem tandem sibi deligunt. Et electioni, quam multis adactus precibus Chistique adiuratus nomine consensit: non tamen est passus se coronari eo diademate, quod superiorum regum capitibus imponi consueverat. Fecit id primum modestiae causa, quandoquidem erat vitae sanctitate adeo excellens, ut in terris agens non ut homo, sed ut coelestis aliquis angelus in humana effigie versari inter mortales putaretur. Deinde quod superesset adhuc Salomon Andreae filius, qui non modo semel, sed et iterum, consensu senatus omnis Hungariae fuisset coronae illius honore donatus. Atque idcirco dicere persaepe solebat, non suo sed Salomonis nomine tenere se Hungariae regnum. Consensui autem optimatum eo se acquievisse, quod divina revelatione intellexisset, expedire salutem hungaricae rei publicae, ut ipse gubernandi regni curam suscepisset. Post acceptum regiae sublimitatis fastigiū nihil unquam



egit, quod esset vel levi reprehensione dignum. Uniuscuiusque virtutis opus, quod bene institutum hominem piumpque deceret regem, summa diligentia et absque ulla officii intermissione ad suum usque piissimum obitum executus est. Eas ob res ipsum adhuc in carne viventem sanctum regem vocitabant. Cum vitae autem maxima integritate non praetermisit, quin regni sui fines ampliaret.

Rex erat ea tempestate Dalmatiae et Croatiae Zolomerius nomine. Is moriens cum nullus illi esset haeres, sua regna testamento reliquit uxori, quae erat beati Ladislai soror. Cum autem nonnulli, qui fuerant viri sui hostes arma parassent, quibus reginae regna illi relicta vellent adimere; suas et ipse rex sanctus coegit copias, tulitque sorori opem; qua fugatis adversariis, quae sua erant, illa postea tranquille possedit. Interiecto dein tempore moriens et illa, eadem regna reliquit Ladislao fratri, quo nemo erat illi consanguinitate propinquior. At vero ipse ea regna hungarorum regum iunxit imperio.

Quarto ex quo regnare coeperat anno Salomonem sibi reconciliavit, suaque pecunia coepit eum habere adeo liberaliter, ut si prudentem se in vita ille gessisset, felix haud dubie vixisse potuisset. Nam non multo post rex sanctus instituit, aut partem regni illi tradere aut regno se omnino abdicare, ut illi quod suum erat restitueret, ipse vero solo ducis nomine contentus viveret privatus. Sed huic eius proposito reluctati sunt optimates propterea, quod eos non latebat quam malum quamque pravum esset Salomonis ingenium. Idcirco timuerunt rei publicae, quod futurum esset exitium, si ille aut adscitus esset in partem dominatus, aut tertio ad regiae dignitatis culmen fuisset evectus. Inter haec ille, ut erat ad omne malum propensus coepit meditari molirique dolos, quibus regem nihil sibi tale metuentem interimeret. Quod ut primum ipse rescivit iussit ut caperetur, conicereturque in carcerem, non plane aut ultionis aut odii causa, sed ne homo pravus facile exsequeretur animo suo conceptam malig-



nitatem, neve tentare quidquam posset, quod esset hungaricis rebus maximo, et quod reparari non facile posset detrimento. Precabatur nihilominus divinam benignitatem, ut illi ignosceret, praestaretque salutiferae poenitentiae viam, qua resipiscens in se rediret, et ab animi mentisque pravitate desisteret. Haud multo post cum ille simularet se malefactorum poenituisse, pollicitusque esset, se nihil unquam doli adversus regem machinaturum, libertate donatus est.

At paucis post diebus fugit, seque contulit ad Oitescum<sup>1)</sup> Cunorum ducem, quem obsecravit ut pararet copias, quibus adeptum regnum sibi recuperaret. Multa praeterea adiecit, quibus illi maria pollicetur et montes, properet modo ut incautus Ladislaus facilius opprimatur. Adductus ille Salomonis precibus, inanibusque pollicitationibus Hungariam versus ducit. Ea re cognita Ladislaus haud segniter paratis armis procedit in hostem, commissoque proelio etiam vertit in fugam, atque ita victor, in suum regnum revertitur. Salomon igitur, dum quid ulterius agat ignorat, nactus ingentem latronum manum illorum fit socius; Bulgarorumque ingressus fines, coepit per agros excurrere, multaue loca populari et omnis generis praedam agere. At vero Bulgari ad arma ruunt, factoque impetu in latrones feruntur, ut insequantur eos fugientes. Et quamquam praedam omnem recuperant, insequi tamen haudquaquam desistunt, quousque illi ad desertum quoddam castellum pervenere. Eo cum se illi proripuissent, ibique se tuerentur, obsidentur quidem a Bulgaris, sed illi cum essent periti locorum, per noctem castello egressi, obsidentes deceperunt, fugaue salutem sibi quaesiverunt. Salomon autem, cuius gratia pauca haec hoc in loco memorantur, deveniens in planitiem quandam, cui proxima erat silva ingens, rogat eos quibuscum eo venerat, ut parumper illic demorarentur; silvam enim ait velle se

<sup>1)</sup> Kutesk. Turócius et VP. Cutesk D.



adire, necessariae rei gratia, quamprimum autem se redituum. Ita exspectantibus comitibus ingreditur silvam; sed neque est regressus, neque usquam ulterius ab illis est visus. Perhibent ipsum inde clam excessisse, atque resipiscentem ad Deum fuisse conversum, deque a se in Deum et in homines commissis vehementer indoluisse, atque instituisse Deo soli in omni sua vita se famulaturum. Ideoque se decrevisse habitu pauperis et abiecti hominis orbem terrarum peragraturum, agendo dignam suis muneribus usque ad mortem in ieiuniis fletuque et planctu poenitentiam. Quod et effecit, pieque aliquot post annis Polae, quod oppidum in Istria est, diem suum obiit. Sunt qui credant beati Ladislai precibus fuisse illi a Deo eum modum agenda peccatorum poenitentiae praestitum.

Suscepit et idem rex denuo bellum contra Cunos, propterea, quod dum ipse ageret in Dalmatia, illi duce Copulchoi, id enim illi erat nomen, excursionem fecerunt per aliquot Hungariae loca, unde ingentem praedam exportavere. Quo agnito ad eam ulciscendam iniuriam omnem animum viresque convertit. Cum universo igitur exercitu contra eam gentem quanta maxima potuit celeritate profectus est. Perveniens autem ad locum ubi commode res geri potuit, in illos fertur. Nec multo labore fuit ei opus, primo quippe impetu, hostilem exercitum omnem delevit. Ita praeda omnis recuperata. Decrevit et movere bellum adversus Ruthenos, quae magna natio est; illorum namque consiliis et ope Cuni Hungariam invaserant. Ceterum illi Ladislai formidantes potentiam, pacem sibi dari petunt, eamque a rege clementissimo impetrant quam facillime. Exstruxit Varadiense monasterium, cui contulit multa, regia digna munificentia, ubi postea mortuus est. Decernentibus Teutonum optimatibus eum eligere imperatorem, noluit admittere, quam polliciti sunt se facturos, electionem. Actis nihilominus gratiis illis qui eius rei gratia ad se venerant, pro re ipsa perquam paucis respondit: Suo regno se esse satis superque contentum.



Tantum valuit eius apud principes christianos auctoritas, ut omnes pene miserint ad eum oratores, rogantes, ut cum decreverint suscipere expeditionem in Saracenos, qua recuperaretur terra sancta, velit ipse suscipere munus ductandi exercitus christiani; se namque eo esse animo, ut non dedignentur sequi piissimi principis signa, seque velle cum omni modestia sancta ipsius iussa capessere. Probavit christianissimus rex illorum consilium, atque annuit, responditque oratoribus: Velle se obnixè efficere, quod principes, a quibus erant missi, efflagitabant; paret unusquisque illorum quaecunque fuerint tanto tamque honesto bello necessaria. Se habere iam paratas expeditasque copias, et celerrime se comparaturum, quidquid aliud suo expederit exercitui. Illis ad suos principes remissis, coepit dare operam, ut quae essent usui bello gerendo compararentur; sed Deo aliter placitum. Dum enim Ladislaus talia curat, in morbum incidit; quo correptus sanctissime ut vixerat migravit e vita, anno ab ortu Jesu Christi nonagesimo quinto supra millesimum, tertio kalendas Augusti. <sup>1)</sup> Regno praefuit annis undeviginti.

## Index XIII.

Huic regi nulli, quod vitam egerit celibem, <sup>2)</sup> liberi fuere; at Geisa eius frater duos reliquerat filios Colimanum et Alnum; <sup>3)</sup> eos moriens, parvuli namque tum erant, La-

<sup>1)</sup> Noster Turocium et Chronicon Pictum sequitur, ubi additur: feria prima — quod non quadrat. Rectius Chronicon Budense Dubnicense et ceteri huius familiae: quarto Kal. Aug. feria prima — quae congruit cum anno 1095. In breviario Strigoniensi anni 1519. 29-a Julii: Depositio S. Ladislai regis — i. e. IV. Kal. Aug. <sup>2)</sup> Turócius ex chron. VP. meminit eius filiae Pyrisk, vel Priscae imperatricis graecorum. Chronicon vero Dubnicense viduum fuisse eum affirmat: „Matrimonii copula dissolutus munus continentiae Deo dedicans“. Font. III. pag. 97. <sup>3)</sup> Ex Chron. VP Turócius. Lamperti filium fuisse Alnum docent chron. B. D et ceteri eiusdem familiae.



dislai commisit fidei. Ladislaus autem cum ei mors immineret, quia Colimanus ob nimiam corporis deformitatem pravitatemque ingenii nequaquam fuerat ei visus ad regnum idoneus, cohortatus est eos quorum curae res incumbebat, ut se mortuo Almu, quam Colimanum mallent regno praeficere. Secus si fecerint hoc habeant: futuras esse complurium innoxiorum hominum caedes, inter consanguineos magna dissidia capitaliaque odia sacrilegia aliaque permulta impietatis genera. Divino se afflatum spiritu talia vaticinari. Ceterum eo mortuo Hungari, quisque sua secuti studia quae vir sanctus praemonuerat prorsus neglexere. Colimanus morte regis accepta ex Polonia ubi tunc agebat, illico venit in Hungariam, coactoque paulo post ipsius adventum totius regni senatu, ubi satis est agitatum uter fratrum esset regno praeficiendus, Almus cum esset vir miti ingenio, quod erat natu minor, Colimano cessit. Qui magna omnium laetitia rex appellatus regium de more diadema suscepit. Ante vero omnia Almu et nomine et dignitate ducis honoravit. Fuit quidem primum inter ipsos summus rerum omnium consensus; deinde vero assentatorum malignitate effectum est, ut dum vixerunt, odiis inter se decertaverint implacabilibus. Sub eo Hungari multa gravia Deoque et mortalibus quam molestissima perpessi sunt; multa enim inique et crudeliter gessit. Nec evenit aliter, quam quod beatus Ladislaus moriens, Deo ut diximus inspirante praenuntiaverat. Sed praetermissis ceteris ea solum perstringam scelera, quae in fratrem nepotemque commisit.

Post longi temporis dissidia cum ad pacem iam venissent, cuius componendae gratia Romanorum imperator e Germania venerat in Hungariam, essetque ea pax iureiurando firmata; cum primum imperator domum regressus est, iussit rex eos capi, effossosque oculos illorum, ad se deferri. Huic crudelitati aliud adiecit scelus. Nepotis namque, hoc est filii Almi qui tum erat infantulus Bela nomine, iussit abscindi genitalia, ne ei in regnum



succederet, ad gignendos videlicet filios factus inhabilis. Ceterum ille, cuius curae demandata res est sceleratae iusioni non paruit. Dixit nihilominus regi exsecutum se diligenter fuisse quod iusserat. At vero ille abscidit testes catuli, qui eum sequebatur, quos regi ostendens. En inquit testes quos abscindi tibi voluisti. Cui Colimanus habuit fidem. Eo enim ille regis noluit obtemperare imperio, quod veritus est ne si obtemperasset, regium postea genus omnino exstingueretur. Ceterum Almi fratris nec etiam vitae Colimanus pepercit. Struxerat is Demesiense monasterium, quo posteaquam excaecatus ab illo fuit, se contulit ut ibi vitam et ageret, et decreto a Deo tempore finiret. Inter haec rex, incidit in mirum ac miserabile morbi genus, quo cerebrum paulatim eius fluebat ex auribus. Itaque intelligens morti se esse propinquum, accersito ad se filio, de quo paulo post fiet mihi mentio, ac aliis multis quibus fidebat, iubet eis ut dent operam qua Almus interficiatur. Id imperium si exsequi neglexerint haudquam dubitandum, quin se mortuo ille sit in regnum successurus. Nec mora continuo mittitur, qui illum in ecclesia monasterii cuius memini, ad sanctae Margaritae altare, ad quod salutis causa confugerat — putaverat enim fore ut ob sacri loci reverentiam ille facto abstineret nefario — interimat. Benedicto erat illi nomen, qui tam grande admisit scelus. At non impune quidem; namque cum loci sacerdotes fugientem illum insequerentur, equo quo vehebatur delapsus effracta cervice repente exstinctus est. Eius autem corpus canes quos secum ipse duxerat protinus dilacerarunt devoraveruntque. Rex quoque laborans ex morbo quem dixi, diem impie ut vixerat, obiit anno ab ortu Jesu Christi M. C. XIII.<sup>1)</sup> tertio Nonas Februarii. Regnavit annos quinque et viginti, mensesque rex.

<sup>1)</sup> Error in anno. Turócius et chronica maiora recte designant annum 1114 3. Febr. feriam tertiam. Noster consentit cum Chron. Varadiensi. Tempus regiminis recte notant Chronica B. D. et cognata, an 18. mens. 6 dies 5.



Duas duxit uxores; ex earum una duos suscepit filios: Ladislaum et Stephanum. Quorum matre mortua duxit alteram natione Ruthenam, quam cum deprehendisset in adulterio, remisit ad parentes. Fuit in rebus gerendis admodum prudens et fortunatus plurimum. Subegit Dalmatas Petro eorum rege interemto, qui eam regionem mortuo beato Ladislao sibi occupaverat ipsis Dalmatis non invitis. Mercede conduxit instructissimam a Venetis classem, quam misit in Apuliam; per quam excurrentes Hungari magnam eius partem caede et incendiis multorumque generum praeda vastavere. Expugnaverunt ac diripuerunt Monopolim et Brundisium, quae clarae tum erant, suntque hodie in ea regione urbes. Tenebantur ditione Roberti Guiscardi, cuius viri fortia facta supra explicata sunt, ubi visus est aptus hortari locus. Ad ipsum ut primum rei perlata est fama, missis terra marique copiis, quas amiserat urbes recuperavit. Classem praeterea iussit proficisci ad oras Dalmaticas; quae facta per multa loca excursionem, non minora Robertus intulit hosti, quam illa quae acceperat detrimenta. Haecenus de Colimano. Hinc quisnam ei successerit ostendamus.

## Index XIV.

Post eum Stephanus eius filius adhuc adolescentibus regno praeficitur. Fuit is homo ex eorum numero qui nimium solent inflari sui opinione. Ac propterea ceteris mortalibus omni virtutum genere seipsum putabat antecellere. Quare prudentum virorum consilia nihili semper fecit. In omni autem vita sua, nisi paulo ante quam moreretur, ut infra memorabo, nihil unquam egit quod non esset vituperatione dignum. Jactator quidem egregius magnarum rerum; at factis nullum unquam virtutis opus ostendit. Si quid tamen tentavit aliquando, quod esset regia auctoritate dignum, ad extremum nihil fuit gloriae



consecutus. More latrocinantium repentinas excursiones fieri absque ulla vel iusta vel honesta causa saepe iussit; modo in Rascianos ac Bulgaros, modo in Graecas quasdam nationes. Sed a Graecorum copiis eius exercitus usque ad summa rerum discrimina profligatus est. Ea tamen non per se gessit, sed per praefectos. Cum autem inter scortorum greges assidue versaretur eamque ob rem nihil de uxore ducenda cogitaret, adactus tandem crebris optimatum efflagitationibus, duxit filiam Roberti Guiscardi, cuius mentionem paulo ante habui, qui per id temporis imperitabat ei parti Italiae, quod Neapolitanum regnum postea appellatum est. Multa fecit iracunde, multa intemperanter et impie, multa crudeliter. Quas ob res famam sibi vendicavit violenti formidolosique hominis, et truculentissimi tyranni. A vulgo vero cognominabatur fulmen, propterea, quod non consilio sed subito animi furore cuncta faciebat.

Ceterum post magnam male actae vitae suae partem, miro quodam et Deo tantum cognito modo resipuit, patratumque tot scelerum poenituit. Cumque ex uxore nullos suscepisset filios, quorum aliquis regnum post ipsum teneret, eaque de causa angeretur vehementer; nonnulli e nobilitate viri praestantes ei patefecerunt quiddam, quod ipsum perdiu latuerat, vivere videlicet Belam Almi patrum sui filium, cuius oculos olim erui iusserat Colimannus. Postea enim quam effossi illi oculi fuerant Deo hoc suo occulto humano generi consilio disponente a probis quibusdam piisque viris occultatum servatumque fuisse. „Desine igitur te afflictare o bone rex, cum sit tibi iam inventus successor, qui non est a tuo genere alienus.“ Id ubi rescivit rex, summo gaudio incredibilique laetitia affectus est. Itaque ut primum animadvertit moriendi sibi tempus adesse, regno se abdicavit, acceptoque monachorum habitu decessit. Sepultus est in Varadiensi ecclesia anno salutis humanae MCXX<sup>1)</sup> Regnavit annis duodeviginti.

<sup>1)</sup> lege: MCXXXI.



## Index XV.

Bela igitur consensu senatus rex constituitur. Fuit is captus quidem corporis oculis, mentis vero lumine quam acutissimus. Inimicorum namque et vigilanter evitare scivit insidias, et regni sui rem publicam prudenter administravit. Eius uxor, matrona singulari prudentia Helena dicta est, quam perhibent neptem ex sorore fuisse Constantinopolitani imperatoris. Quatuor ex illa filios suscepit: Geissam Ladislaum Stephanum et Almum. Huius regis probitatem admirati plerique, atque praecipui Hungariae proceres, ob rei indignitatem adducti sunt, ut dum apud Albam<sup>1)</sup> optimatum conventus ageretur, facto impetu interfecerint illos, quorum consiliis Colimanus sui nepotis, hoc est Belae, de cuius regno nunc scripsimus, eruerat oculos. Occisorum postea villas et cetera quaecunque in vita illi possederant, rex una et universa in eo conventu congregata nobilitas, praecipuis per Hungariam constitutis ecclesiis distribuerunt. Ex eo itaque tempore Hungariae ecclesiae opulentae in hanc diem perseveravere. Adversus hunc Borichus Colimani filius natus ex pellice,<sup>2)</sup> auxiliis Ruthenorum ac Polonorum profectus est ad Hungariae fines, ut eo paterno regno electo, Hungaria ipse potiretur. At rex divina fretus ope adiutusque a proceribus, quorum fideli opera aliis multis in rebus antea fuerat usus, illum vertit in fugam, profligavitque exercitum illorum, qui illi auxilium tulerant. Hungaros autem qui illius faverant partibus, interfecit. Regnum tenuit annos ferme decem. Decessit christianissime, sepultus est Albae anno ab incarnato Dei filio primo et quadragesimo supra millesimum et centesimum.

Successit ei Geissa filius, fratrum suorum natu maximus. Fuit is vir christiana pietate insignis. Adolescens

---

<sup>1)</sup> iuxta Arad. <sup>2)</sup> uxore repudiata.



adhuc fudit Teutonum ac Saxonum Austriensiumque et Bavarorum copias, quae Hungariam invaserant. Albae mira cum religione migravit e vita anno ab incarnatione salvatoris centesimo et sexagesimo primo supra millesimum. Regnavit annos viginti menses III dies XV.<sup>1)</sup>

Post eum regnum tenuit Stephanus filius annos ferme duodecim. Obiit absque liberis Albae,<sup>2)</sup> anno a Jesu Christi ortu septuagesimo secundo supra millesimum et centesimum.

Bela frater eius successit. Hic regnum suum latronibus et furibus quorum ingens tum erat in tota Hungaria copia, intentissima cura purgavit. Diem obiit anno salutis centesimo et nonagesimo<sup>3)</sup> supra millesimum, Kal.<sup>4)</sup> Maii. Corpus eius Albae iacet ubi et mortuus est. Praefuit regno annos tres et viginti.

Ei successit Emericus filius, qui regnavit annos octo menses VII, dies VI. Mortem obiit Agriae anno humanae salutis MCC<sup>5)</sup> pridie Kal. Decembres. Post quem regno praefuit Ladislaus eius filius sex tantum mensibus.

## Index XVI.

Regnum post eum tenuit Andreas nominis huius rex secundus, Belae, de cuius regno paulo ante memini filius, annos triginta. Ad terram sanctam hic et voto et iussus a pontifice maximo profectus est. Gerebatur tunc

---

<sup>1)</sup> Cum Tur. VP. Zagr. Varad et Muglen. Undecim dies habent B. D. et ceteri huius editionis. <sup>2)</sup> Strigonii. <sup>3)</sup> Chronographorum nostrorum error communis. In Annotationibus chronologicis recte: M. C. XCVI. Font. III. p. 213 Genealogiae etiam 2, 3. <sup>4)</sup> Rectius B. D. et ceteri huius familiae: nono kal. Maii feria tertia; quod spectat ad annum 1196. <sup>5)</sup> Excidit numerus IV. ferme apud omnes. Zagrabiense exhibet integrum: MCCIV. Font. III. p. 257. Etiam Genealogiae 2 et 3. hic supra.



a nostris aliquot principibus bellum in Syria adversus Babyloniorum Sultanum. Voluit itaque pontifex ut is princeps cum abundaret divitiis, essetque rei bellicae in primis peritus christiano praeeset exercitui. Paruit igitur ipse, et quantum suppetivere facultates, rebus quae gerebantur trium mensium spatio, et interfuit, et magna cum gloria praefuit. Nam non prius inde discessit, quam commissa atrocissima pugna victor gloriosus evaderet. Ex Geltruda uxore, quae fuit natione Germana, hos suscepit liberos: Belam Colimanum Andream Elisabetham, feminam vitae sanctitate insignem, quam Romana ecclesia, in sanctorum numerum postea retulit. Excessit e vita anno ab ortu incarnati filii Dei MCCXXXV.

Praefuit deinde regno Bela eius filius rex huius nominis quartus annos XXXV. Obiit anno Domini nostri Salvatoris MCCLXX V. Nonis Maii. Sepultus est Strigonii in ecclesia Fratrum Minorum, quam ipse condiderat in honorem beatae Mariae Virginis. Fuit is vir miti quidem ingenio, magnoque animo, et vita integerrimus; sed in rebus gerendis parum fortunatus. Eo regnante tartari invaserunt Hungariam, quam magna ex parte incendiis ferroque vastaverunt. Comparavit quidem rex suas copias, obviamque viriliter hosti processit; sed cum ad rem gerendam ventum est vincitur, caesa suorum multitudine magna. Quamquam non sine ingenti suorum clade Tartari sunt assecuti victoriam. Ad quinque namque et triginta millia eorum cecidisse ferunt eo proelio.<sup>1)</sup> Christianus autem rex licet nihil praetermisisset quod esset officium ducis fortissimi, animadvertens tamen ad extremum victoriam esse Tartarorum, divinae se dispositioni commisit, atque ita vi facta via, interque densissimos hostes irrumpens tandem, cum aliquot e suis legionibus evasit incolumis. Nec

<sup>1)</sup> Eundem caesorum numerum adfert etiam Gregorius Pethö in sua historia idiomate hungarico scripta anno 1627. Commemorat etiam cum Chron. Poseniensi locum pugnae: ad praedium Mohi.



propterea tamen, ubi se in loca tuta recepit, animo deiectus est. Convertit enim suas omnes cogitationes ad ea tuenda quae hostes nondum occupaverant, collocatis videlicet, ubi visum est expediens, idoneis praesidiis. Non enim exigebat res ut cogerentur ab eo copiae, quibus cum tartaris denuo dimicaretur. Quippe qui prudenter animadvertibat illos armis viribus numeroque ac robore militum longe esse superiores. Commisit autem se remque suam, absque ulla intermissione Deo ac beatae Mariae, cuius tutelae beatus Stephanus rex Hungariae regnum olim commiserat.

Triennium Tartari consumserunt, modoque huc, ac modo illuc excurrentes tantisper in Hungaria commorati sunt, dum nihil pene ulterius diripiendum eis relictum est. Cum autem ipsa regio relicta sit ab illis magna ex parte deserta, posteaquam Hungari qui a tanta fugerant calamitate domum rediere miserabili fame afflicti sunt. Id enim consequi necesse fuit, propterea, quod hostili ubique saeviente rabie coli agri non potuere.

Nec mirum cuiquam sit Tartarorum ingentem multitudinem adeo facile populari Hungariam potuisse. Undique enim fere potest ea regio hostium patere excursionibus; paucas namque validas atque munitas habet urbes, at vero antiquitus nullas habebat. Eius rei locuples testis est Appianus Alexandrinus in opere ac libro, quorum supra meminimus, quum de Pannoniae nomine loqueremur. Is quippe de suorum temporum Pannonibus locutus: Nullas inquit habent urbes; agros duntaxat et villas possident. Neque iudicia illis communia sunt, neque principes qui praesint ceteris. Ipsi centum millia virorum habent aetate ad bellum gerendum integra. Ceterum imperio unius carentes, in unum eos minime congregant. Huc usque Appianus. Ceterum dubitandum non est, quin lacessiti bellis aliquo eorum duce congregati aliquando fuissent, hostique in eos venienti totis occurrissent conatibus. Quod arbitramur illos fecisse, quum Romani Pan-



noniam subegere. Non enim Tiberius ius meruisset triumphandi de Pannonibus, nisi prostrasset tot millia ex illis, quot millia prostravisse eos oportebat, quos Romani cum triumphi pompa urbem intrantes excipiebant. Si quas autem munitas urbes hodie Pannoniæ habent, eas post occupatam eorum regionem ab Hunnis et Hungaris concidere. Et nisi terrori esset finitimis nomen Hungarorum; quæ natio admodum est audens, et armis potens; sæpe eos a multis partibus hostes invaderent. Redeo ad Belam.

Gessit et bellum adversus Bohemos ab illis lacesitus. Sed licet suos diligenter exciverit ad arma, quibus illis fortiter obsisteretur, collatisque signis proelii fortunam magno tentasset animo; Deo tamen aliquo suo iusto quidem, sed nobis occulto permittente consilio superatus est. Hungarorum ad tria millia capta, caesa ad duo millia et septingenti. Bohemorum quinque millia et ducenti interfecti. Rex vero cum esset serum diei, adiutus a suis facile servatus est, in sua se castra recipiens. Sed cum cogitaret de instaurando bello, daretque operam, ut aliæ legiones cogerentur; Bohemi timentes ne mutaretur belli fortuna, contenti ea victoria domum regressi sunt. Huius filia fuit beata illa Christi virgo Margarita, cuius sanctitatis nomen apud Ordinis Praedicatorum Fratres magna ubique veneratione celebratur. De qua non pigebit, hoc enim hortatur hic locus, quaedam mentione digna referre.

Bello illo, quo modo dictum est a Tartaris infestam vastatamque fuisse Hungariam, gravis erat regis uxor, quæ et ipsa fuit miti ingenio et non minus suo viro, multis quæ decuerant reginam christianam virtutibus incluta. Dum igitur Tartari barbarica ubique grassantur sævitia; Deo pollicetur uterque coniux nascituram prolem divino se dicaturos servitio, si detur divinitus, ut barbara Deoque inimica gens ipsis incolumibus ex Hungaria abeat. Exauditæ sunt piorum principum preces. Haud enim multo post barbari relicta Hungaria eo unde venerant rediere. Post quorum abitum edita ex regina



infantula Margarita nominata est. Regali postea cultu in regia nutritur. At vero ubi complevit tertium aetatis annum, visa est ea esse indole, qua Dei potius esset mancipanda famulaturi, quam deliciis addicanda secularibus. Est in oppido cui nomen est Vesprimium monasterium, fama bene beateque viventium praeclarum, in quo per id tempus erat multitudo feminarum virginum Deo caste sancteque servientium sub regula et institutis atque habitu Fratrum Praedicatorum. Is locus est visus praecipue idoneus ubi regia puella Jesu Christi sacris initiaretur. Eius itaque parentes, Deo factae promissionis non immemores, eam illuc honesto comitatu perductam, religioni beati Dominici devoverunt. Suscepto deinde in tam tenera aetate virginum habitu adhibita ei fuit quaedam ex illarum contubernio, quae circa omnes se ipsam bonorum operum praebeat exemplum. Ab ea voluit monasterii antistes quam vocitant priorissam, educari puellam; ita ut ab ipsa disceret spiritualia cantica, et cetera quibus Deo constitutis horis ac temporibus psalleret, ut dignis Deo dicatae virgini moribus informaretur. Helenae illi nomen fuit. Quae adeo sancte omnem suam egit vitam, ut dum viveret, non solum multis claruerit miraculis sed moriens etiam, ac post mortem; ut in hanc etiam diem sanctitatis ostendere signa nequaquam desierit. Unde et a Vesprimiensibus hodie quoque beata Helena nuncupatur. Tali itaque sancta puella usa magistra, vitae illius integritatem imitari, quantum pueriles pati poterant anni adnitebatur. Matrem illam appellabat. Quidquid autem ei ab illa faciendum constituebatur, sive per noctem vigilandum orandumque Deum, sive dandam operam vili alicui servitio, ut fit in virginum monasteriis; absque ulla mora exsequi humiliter et alacriter obedienterque studebat. Quintum agens annum oblatum ei ab educatrice cinctorium cilicinum non horruit, sed haud cunctanter lumbos tenerrimos suos ad nudam carnem praecinxit. Fecit id prudens magistra, non quod ipsam non misereret imbecillis aetatis ac sexus. sed ut



sancta puella inciperet assueferi uti rebus, quibus traduntur permulti Dei utriusque sexus servi suam carnem contra perniciosas concupiscentias domuisse. Voluit igitur ut eo cinetorii genere, non continuatis uteretur diebus, sed quoties ei utendum illo videretur. Crescente postea aetate adeo et ipsa proficiebat de virtute in virtutem; ut non modo virgines contubernales sancta eius opera mirarentur, sed fama etiam sanctitatis eius per omnem Hungariam longe lateque diffunderetur. Inter haec cum parentes eius non mediocri afficerentur gaudio ac laetitia, animadvertentes videlicet se obtulisse hostiam laudis, reddendo altissimo quod voverant, votum autem illi fuisse acceptissimum; decreverunt condere domum, quam eorum filia dum viveret inhabitaret.

In quadam itaque insula, quae mille ferme passus abest ab urbe Buda erigunt aedem in beatæ Mariæ Dei genitricis honorem, coniunctumque illi constituunt coenobium, ubi cum aliquot aliis Deo dicatis virginibus vitam ageret uti coeperat celibem, Absoluto igitur opere accersunt in Hungariam Umbertum theologum doctissimum, ac religione præstantem virum, qui per illud tempus erat Generalis Ordinis Praedicatorum magister. Huic rex et regina a se constitutum tradunt monasterium, petuntque ut ab eo eorum filia a Vesprimiensi, ad hoc in insula quam dixi structum coenobium transferretur, adhiberenturque ei ex omni numero selectae, quot viderentur necessariae atque utiles virgines; cum quibus Deo beatæque Mariæ, in S. Dominici religione famularetur. A templo autem in honorem beatæ Virginis condito indidit rex loco nomen ut diceretur: insula sanctæ Mariæ, quae antea vetusto vocabulo insula leporum cognominabatur. Quamquam eam hodie vulgus beatæ Margaritæ insulam vocitat. Umbertum, ut talem tantumque depositum thesaurum diligenter fideliterque servaret, illi monasterio praefecerunt antistitem, qui regiam sanctamque puellam, ac ceteras Christo dicatas virgines regeret ita, ut illae non



quae sunt mortalis huius vitae, sed quae essent coelestia ac futura beatis parata bona assidue, et quantum pate-  
retur humana imbecillitas, meditantur. Quod et illae  
mirum in modum exsequi studuerunt. Et quamquam  
inter se bene sancteque vivendo plurimum certarent quae-  
nam ex ipsis esset, quae Deo serviret ferventius: com-  
perit tandem prudens earum antistes beatam Margaritam  
in cunctis, quae essent puritatis sanctitatisque atque in-  
tegritatis vitae, ceteris antecellere. In Hungaria vero tan-  
tus vir, rogante svadenteque rege tamdiu demoratus est,  
donec sancta puella pervenit ad duodecimum annum aet-  
tatis; quo idonea esset, ut decreto sanctorum Romanae  
ecclesiae patrum, de more profiteretur religionem, in qua  
fuisse eam a tenerrimis initiatam annis ante ostendimus.

Ibi coepit se omni studio exercere in iis, per quae  
posset ad consummatae virtutis cumulum pervenire. Nihil  
cogitabat, nihilque vel dicebat vel faciebat, nisi quod esset  
charitas<sup>1)</sup> et christianae perfectionis. Erat paucis contenta  
verbis, ideoque laudabilem taciturnitatem mire amabat.  
Subridere quidem aliquando, sed in cachinnum nunquam  
laxari visa est. Laudari se permoleste patiebatur; iactan-  
tiae vel minimum verbum ex eius ore nemo unquam  
audivit. In oratione adeo fervens erat et assidua, ut non  
solum diei sed maximam quoque noctis partem vigilando  
Deoque supplicando transigeret. Orabat plurimum ante  
Domini nostri Jesu Christi crucifixi imaginem, perfecta-  
que oratione quinque plagarum loca profusis lacrymis os-  
culabatur. Cum per noctem oraret, a virginibus quae sanc-  
tam eius vitam admirabantur, frequenter audita est in  
multa ex imo pectore tracta suspiria, et quasi extra se  
esset posita in voces divina quaedam sonantes erumpere.  
Contenta erat escis et potu, qui pro ceteris virginibus pa-  
rabantur. Post corporis refectioem operabatur manibus,

---

<sup>1)</sup> Sic editio princeps; in codice haec desiderantur. Forsitan:  
charitatis.



ne vitam ageret otiosam. Ea vero laborabat praecipue, quae essent vel ad altarium, vel ad reliquiarum sanctorum ornatum. Ferebat perquam moleste, si quando ipsam oporteret aut coepta opera aut solitas orationes interrumpere, propter vel parentum, vel cognatorum adventum, qui visendae eius gratia ad monasterium se aliquando conferebant. Jeiunia, et quaecunque alia iuxta regulam, et sancta religionis quam profitebar instituta ei proposita fuerant, per omnem vitam ita servavit ad unguem, ut ob laborem adversam nonnunquam contraxerit valetudinem. In Parasceve nihil omnino cibi petusque capiebat, neminemque alloquebatur, sed totum illum diem, passionem salvatoris generis humani meditando consumebat, gemitatque non sine magna effusione lacrymarum. In vigiliis solemnitatum beatae Mariae Virginis pane tantum cum aquae potu vescebatur. Verbi Dei praedicatores et avide et mira audiebat attentione. Vacabat plurimum lectioni operis Joannis Cassiani, quod inscribitur: Collationes patrum. Legebat et assidue vitas sanctorum, et ea quae traduntur de miraculis beatae Mariae Virginis. Ipsi autem beatae Virgini mira et incredibili veneratione ita se ab ineunte aetate devovit, ut quoties sanctum eius nomen vel ipsa proferret, vel ab aliis proferri audiret, caput in profundum reverentissime flecteret. Nec alio ipsam interloquendum appellabat nomine, quam beatam spem mundi, vel matrem Dei. Imaginem autem cum illius, tum Salvatoris nunquam, nisi flexis genibus praeteribat. Decem et octo annos corporis abstinuit lavacro. Permittebat quidem sibi lavari pedes aliquando, ceteram autem supra ipsos carnem tangi, a sua pudicitia semper duxit alienum. Virtute humilitatis adeo enituit, ut ab adolescentia gavisam se occupari se semper vilioribus exercitiis. Nam quo magis generis nobilitate sanctitateque vitae praestabat ceteris, eo magis studebat illas humilitatis operibus vincere. Hanc sibi saluberrimam regulam ad sui conservandam integritatem in memoria habere sibi proposuit, quam a sancto



quodam Ordinis sui patre didicit: Deum ante omnia et prae cunctis rebus; post eum proximum diligere; seipsam despiciere contemnere, ac iudicare neminem. Quae adeo diligenter obnixaeque, servavit, ut talium virtutum operibus summam bene christianeque vivendi sit adepta perfectionem. In oculis hominum erant quidem ei vestes nec nimium viles et abiectae, nec nimium pretiosae; sub ipsis autem utebatur plerumque cilicio quod partim laneis filis, partim equinis crinibus sibi ipsa texuerat. Illud tamen servavit per annos ante suum obitum sex, quod a die prima Quadragesimae ad sabbatum usque sanctum, cilicinam ad carnem vestem nunquam omisit.

Legebat quam saepissime vitas maiorum suorum, non plane singulorum, sed illorum, quorum fuerat vita christiana pietate insignis. Qualis fuit vita beati Stephani, beati filii sui Emerici, beati Ladislai, beatæ Elisabethæ, Andreae II Hungarorum regis avi sui filiae. Quorum omnium supra suis in locis mentionem habuimus. Secum igitur beata Margarita horum sanctorum vitam et merita corde volutabat, gaudebatque et maxime laetabatur, tales se habuisse gentiles, quos sancte vivendo posset imitari. Admiransque virtutum opera, quibus unusquisque eorum Deo fuerat acceptissimus, se ipsam hortabatur et optabat, ut quemadmodum illi, ita et ipsa Deo pie sancteque famularetur, illorumque ad id a Deo impetrandum efflagitabat auxilia. Aegrotantibus contubernalibus animi sedulitate, et intentissima cura serviebat. Faciebat autem id adeo humiliter, ut vilissima quaeque in ipsas officia suis manibus faceret; licet ipsa nonnunquam propter crebra ieiunia assiduasque vigiliis ac cetera ad domandam carnem a se excogitata virtutum opera, imbecillibus esset imbecillior. Saepeque dicebat, se in eis pietatis exercitiis adniti, ut sanctam Elisabetham parentis sui sororem, de qua supra est facta mentio, imitaretur.

E fenestra illa chori e qua solent sacrae Deo dicatae virgines conspiciere eucharistiae sacramentum, quoties



conspicabatur pauperes mendicos claudosque et caecos, atque alios ex aliis morborum generibus laborantes, vehementer ingemebat, et ubertim lacrymabatur. Quaerentibus autem aliquando ex ea sororibus quaenam esset causa lacrymarum, his respondebat verbis: „Miseret me egenorum quos video, et vehementi afficior dolore, quod opem illis ferre non possum. Ceterum ago, habeoque dum vivam conditori meo gratias, quod absque ullo corporis mei defectu me et fecit, et in hunc diem pro sua benignitate servavit. Quo fit ut multo magis quam hi quos cernimus, sim ego suae in me caritati obnoxia.“ Quidquid pecuniarum ceterarumque rerum, quae essent usui vitae necessaria ei mittebantur a parentibus et cognatis, sui Ordinis priori provinciali tradebat, ut ea Christi pauperibus in eleemosynas prout cuique opus esset distribueret. Sva-  
dentibus ei persaepe nonnullis, ut omissis nimio demandae carnis rigore, secum ageret mitius, ne non tam Deo servire, quam sese tradere morti videretur; quippe quae vivendo diutius multo plus meriti apud Deum sibi compararet; his respondere solebat verbis: „Quicumque se sperant victuros in hac lacrymarum valle diutius, illi sibi bona faciendo opera servent in futuros dies; ego ex numero malo esse eorum, quae nescio quanto tempore sim in hac mortali vita mansura. Illud autem nosse nos omnes oportet, vanum esse nobis claudi monasterii septis, et moribundi corporis quietem, ac seculi huius affectare delicias. Sunt enim monasteriorum claustra habitacula eorum, qui non praesentia haec bona, quae fluxa sunt et labilia; sed sempiterna amant, desiderant, contemplantur.“ Quibus ab ea dictis audientes erubescabant, et eius exemplo ad serviendum Deo ferventius incitabantur.

Parentem suum ac fratres et cognatos quoties ad eam visendam se conferebant, ad hoc potissimum cohortari solebat, ut regnum legitime non per tyrannidem administrarent, nec paterentur ut voluntati militum, quorum animus praedae plurimum inhiat, exponeretur. Orabat



praeterea illos, ut si quid apud ipsos valerent ipsius preces, curarent ante omnia colere iustitiam, cuius virtutis munus maxime Deo placeret. Nec minus precabatur, ut nulla eos caperet oblivio pauperum orphanorum viduarum, et quoruncunque egenorum. Habita autem ratione sanctae eius vitae in cunctis pene quae petiit, ei parentes non contracta fronte annuerunt.

Huius virginis sanctitati malignus invidens spiritus suggestit Georgio<sup>1)</sup> Bohemorum regi, ut unacum rege et regina Hungariae se conferret ad insulam sanctae Mariae, ubi situm supra ostendimus fuisse monasterium, in quo eorum filiam Dei servitio devoverant. Cupiebat enim ille magnopere videre virginem, de cuius sanctitate multa mira circumferebantur. At vero ut primum Bohemus ipsam intuitus est, ob eximiam formam qua virgo erat insignis amore eius capitur. Petit igitur eam sibi matrimonio iungi, dicitque nihil se dotis a parentibus habere velle; sed regnum suum, et quidquid ei esset, virgini se dono daturum, modo efficiant eius parentes, ut quod petit assequatur. Respondit pater fieri non facile posse quod petitur, propterea quod a tenerrimis annis virgo esset divino mancipata servitio, adeoque esset in sancto confirmata proposito, ut putet suam filiam malle mori, quam ullis parentum vel svasionibus vel consiliis acquiescere. Ceterum post multa ultro citroque dicta, quibus Bela rex considerans quantum boni ex eo coniugio posset ei evenire filiam adit. Adiens quoque mater rem illi proponit, redditque causam, qua ipsam assentiri parenti oporteret; se praeterea daturum operam, ut mittat ad Romanum pontificem, cuius potestate possit illa, talis matrimonii gratia sine ulla Dei offensione ad seculi transire delicias, Deoque adoptionis filios gignere. Cui illa: „Pater inquit desine rogo carnalia mihi coniugia proponere. Tu namque a primis meae aetatis annis, me Jesu Christo desponsasti. Nunc autem

<sup>1)</sup> Ottocaro.



Deo factae promissionis oblitus ita mutasti sententiam, ut horteris me abdicato coelesti sponso, violataque mentis et corporis puritate, nubam homini peccatori? Religionem quam professa sum nunquam deseram; corporis mentisque munditiam, quam regum regi dedicavi nunquam maculabo. Memoria teneo, cum tu agentem septimum aetatis annum Polonorum regi me destinare tentasti: credo equidem te meminisse, quid tunc tibi responderim. Dixi enim illi me dum vivam velle servire, cui me sponsam ab ineunte aetate devovisti. Quod si tuae voluntati quae adversabatur iustitiae, nequaquam gessi morem; assentiamne tibi nunc, cum aetate sim grandior, atque ideo sim facta cum prudentior, tum praecipue gratiae divinae capacior? Desine igitur Pater me a propositio religionis avertere. Nam regno et opibus ac ceteris quae pollicetur Bohemus, coeleste regnum, Christique omnis svavitatis delicias antepono. Malo igitur mori, quam tuis mortiferis parere consiliis.“ Talia dicenti virgini, cum ille dixisset parentem se esse, atque ideirco divino praecepto, sibi a filia oportere obtemperari; his verbis et patri et matri quae aderat respondit: „Quoties mihi iusseritis, quae Deo placent, vobis ut meis parentibus ac dominis obediam: sin iusseritis quidpiam a me fieri, quod divinae adversetur iussioni; neque parentes neque dominos meos vos unquam fuisse, nec esse cognoscam.“ Ita illi constantiam filiae animadvertentes, ab incepto destiterunt, virgo autem Christi reliquum vitae tempus omni cum sanctitate consumsit.

Aliquot post annis incidens in gravem corporis morbum, accersitis ad se sororibus, quae erant ceteris natu grandiores, praedixit illis diem et horam, qua esset vita excessura. Susceptis deinde christianis de more sacramentis, momento, quod illa pronunciaverat, pie extincta est, anno aetatis suae octavo et vicesimo XV. Kal. Februarii quo die celebrare solet Romana ecclesia beatae Priscae virginis et martyris solennitatem. Anno ab ortu Salvatoris LXXI-o supra millesimum ducentesimum. Verba eius no-



vissima haec fuerunt. „Domine mi Jesu Christe in manus tuas commendo spiritum meum.“ Qua corpore egressa, ex illius facie claritas quaedam admirabilis, quam omnes virgines quae aderant manifeste viderunt, effulsit. Atque ita visa est fuisse a dolore mortis extranea, sicut a corruptione carnis exstiterat aliena.

Ipsa autem momento quo migravit e vita, ostensus est divinitus transitus e corpore, mulieri cuidam Deo acceptae, cuius mansio distabat a monasterio centum ferme millibus passuum. Visionem vero suam viro illa patefecit. „Scias inquit, hac nocte beatam Margaritam regis nostri filiam diem suum obiisse. Vidi equidem ipsam gloriosa amictam stola, transferri ab angelis in coelum.“ Ille cupiens scire verumne esset, quod ei nuntiaverunt uxor, ad insulam profectus est, et Christi virginem eo tempore, quo uxor ei dixerat fuisse defunctam invenit. Coniugis autem visionem Fratribus Ordinis Praedicatorum, qui in insula tunc erant, narravit.

Ostensa quoque est felix eius ad alteram vitam migratio religiosae cuidam mulieri, quae in eadem insula circa Sancti Michaelis monasterium degens, agensque suorum peccatorum poenitentiam, se ieiuniis et orationibus, aliisque multis bonorum operum generibus afflictabat. Haec perpaucis ante mortem beatae Margaritae diebus, vidit in somnis sanctam Dei genitricem, stipante eam magna virginum caterva e coelo descendentem, introeuntemque locum, ubi illa aegrotans iacebat. Tenere autem suis manibus videbatur coronam miro candore coruscantem, mireque variis gemmis ac margaritis ornatam. Ut autem introgressa est, eam coronam capiti eius imposuit, erectamque illam inter virgines, magna cum omnium laetitia coronavit. Mox loco illo egredi visa est, atque in coelum unde venerat, per gradus quosdam cum ingenti comitantium eam virginum applausu conscendere. Eam visionem illa ad monasterium se conferens iureiurando divulgavit. Qua ex re iudicatum est ab omnibus, qui vulgari visionem audiverunt,



beatam Christi sposam Margaritam, haud multo post morituram, et pro meritis eius inter felices animas collocandam. Claruit et vivens, et post pium ipsius obitum in hanc usque diem, multis variis miraculis quibus ipsam innocenter et religiose sancteque vixisse manifeste demonstratum est. Ea miracula fide dignissima, non existimavi ut hoc loco a me commemorarentur; cum satis intelligam me praeter meum institutum nimium excessisse a narratione rerum, quas perstringere decreveram.

Post Belam regnum tenuit Stephanus eius filius annos duos. Decessit anno Jesu Christi M. CC. LXXIII<sup>1)</sup>, fuit in armis plurimum fortunatus. Bella gessit adversus Bohemos, qui superiore victoria facti insolentiores, Hungaros ad arma multifariam provocabant. Sed ipse cohortatis suis, ut rem strenue gerendo illatas ulciscerentur iniurias, proelium commisit, haud procul a fluvio quem appellant Rapezam, quo eos cum Ottocaro eorum rege superavit. Erat illorum exercitus ex variis compositus gentibus; omnes nihilominus primo pene impetu Hungari fugaverunt. Multi ex illis capti, interfecti supra decem millia.

## Index XVII.

Ei successit Ladislaus filius, regnavitque annos XVI. Fudit is Bohemorum copias Ottocaro eorum rege in Moravia caeso. Fudit exercitum Comanorum, qui duce Oldamuro invasit Hungariam, ut eam illius ditioni subigeret. Sub hoc rege Tartari infestis armis denuo Hungariam ingressi sunt; qui omnia pene longe lateque usque ad Pestum direptionibus atque incendiis absumserunt. Anno deinde ab eorum ingressu secundo, non sine maxima praeda excessere.

<sup>1)</sup> Oscitantia librarii pro: MCCLXXII. Nam supra annum mortualem Belae recte designavit 1270. V. Non. Maii. In prima editione male: MCCXXIII.



Duxerat hic rex uxorem filiam Caroli secundi Siciliae regis, ex qua plures suscepit filios. Sed ipse uxore liberisque despectis cum Comanis mulieribus, licet essent a christiana religione alienae omnem suam vitam libidinose vivendo consumpsit. Quin ea de causa regni sui curas omnes pene praetermisit; ita ut non modo sui omnisque regni decoris, sed suae quoque religionis penitus oblitus esse videretur. Quae res causam praebuit suis popularibus, ut ipsum non mediocri odio prosequerentur. Percrebuit tanti flagitii rumor apud sacrosanctae Romanae ecclesiae Senatam, nec non apud plerosque seculares catholicos principes; qui infamem eius vitam, uti par erat abominabantur. Itaque missus est unus e numero cardinalium ab apostolica sede legatus, qui re cognita, si rex perseverare vellet in scelere, in ipsum sententiam ferret anathematis, privationisque regni iudicio ipsum condemnaret. Quod a legato post inquisitionem quam diligentissimam effectum est. Idque fieri petiere cuncti regni viri primarii; quandoquidem sceleratus rex maluit noxiae indulgere libidini, quam et abstinere flagitio, et maximo parere pontifici. Ceterum ultor scelerum Deus non est passus ut impius homo ea execranda facinora impune perpetraret diutius. Haud enim multo post quam legatus rediit ad urbem Romanam, a Comanis quibus maxime fidebat, ob morum asperitatem necatus est, anno ab incarnato filio Dei millesimo ducentesimo nonagesimo.

## Index XVIII.

Regnavit post eum Andreas eius nepos annos XI. Quisnam autem is fuerit paucis memorandum est. Andreas huius nominis secundus, de quo supra suo loco meminimus, reversus, a terra sancta duxit uxorem filiam marchionis Estensis Itali, ex qua genuit filium cui Stephano nomen fuit. Is cum fuerat natus, mortuo namque viro



uxor iam facta gravida, quod Hungariae magnatibus patefecit, ad patriam regressa est. Et ibidem apud matrem avum ubi adolevit duxit uxorem cuiusdam civis Veneti filiam, cuius magnae tunc erant opes. Ex illa igitur Stephanus suscepit filium Andream nomine, de cuius regno nunc loquimur.

Is igitur superstite adhuc Ladislao, de quo rege paulo ante habita fuit mentio, adiutus avi socerique opibus perrexit in Hungariam, propterea quod cum haberet ducis appellationem, quae dignitas est regi proxima, sperabat se adepturum in regno dominatum, quem adepti antea fuerant, quicumque fungi eiusmodi ducis dignitate consueverant. Inter haec Ladislaus a Comanis occiditur. Accepto igitur necis nuntio Hungari quos non latebat quali genere esset Andreas exortus, ipsum electum appellatumque regem coronaverunt. Austriam hic in potestatem redegit. Obiit Budae anno salutis humanae MCCC. sepultus est apud Fratres Minores in aede beati Joannis Evangelistae. Sub eo Hungarorum priores in duas discessere factiones. Earum una rege adhuc vivente impetravit a Bonifacio huius nominis octavo Romano pontifice, mitti puerum quemdam undecim natum annis, qui Hungariae regno, Andrea abdicato praeficeretur. Pro rei autem huius notitia hoc paulo altius repetendum est.

Maria Stephani Hungariae huius nominis quinti regis filia nupsit Carolo, huius nominis primo regi Siciliae. Ex illa natus est ei filius, cui Carolo quoque fuit nomen, qui patre extincto regnum Siciliae tenuit. Is ex Clementia Rodolphi imperatoris filia genuit Carolobertum, quem Hungari postea Carolum nominaverunt. Hunc itaque pontifex maximus adductus precibus ac rationibus alterius Hungarorum factionis, quae sunt visae iustissimae, (potius) quam Andream regno praeficiendum censuit. Eius rei gratia legatus apostolicae sedis missus quidem est in Hungariam, sed re infecta eo unde venerat rediit. Tantaenamque tunc erant Andreae opes, ut neque legati potes-



tas, neque arma adversariorum, facile ipsum Hungaria pepulissent.

Qui adversae erant factionis Andrea mortuo Vinceslaum Bohemorum regem adiere, cohortatique illum sunt ut peteret Hungariam, sibi que regnum, quod iure suum esset acciperet. Juris autem hanc causam attulere: „Audi inquit rex inclyte quam tibi reddimus causam, quod ad te pertinere Hungariae regnum arbitramur, ut non inani prorsus persvasos consilio ad te nos venisse intelligas. Ottocarus Bohemorum olim rex, quem Ladislaus quartus rex noster interemit, ex uxore cuius fuerat Bela pater, rex et ipse olim noster huius nominis quartus genuit te, qui patre tuo mortuo Bohemiae regnum nunc tenes. Non igitur iniuria, sed iure optimo regem nostrum postulatum te venimus. Bono animo esto. Nam etsi adversarii nostri curant Carolum sibi constituere regem auxilio potestateque pontificis maximi; nos et ceteri qui nostris favent partibus, eis obnixè repugnabimus. Numquam tibi deerimus. Tibi semper consilio opera armis erimus auxilio. Celeritate tibi opus est. Da operam ut quamprimum te committas itineri, ne opes adversariorum, dum tu diem de die trahis, nimium augeantur.“ Vinceslaus cum esset senio confectus, quod illi proposuerant admittere noluit; quamquam post multa ultro citroque dicta, paucissima haec tandem adiecit: „Si quid inquit iuris succedendi in regnum Hungariae mihi est, id totum Vladislao tandem filio meo trado. Curate vos persvadere iuveni, ut traditum ei ius per ignaviam non amittat.“ Id Hungari audientes nihil morati iuvenem adeunt, facileque persvasum ducunt quocumque volunt. Cum igitur Albam cum illo pervenissent, regem eum appellaverunt, coronaveruntque, ac non Vladislaum, sed V litera detracta Ladislaum ipsum vocari maluere.

Ita Hungarorum discordia effectum est, ut uno eodemque tempore duos habebat Hungaria reges. Habuit et tertium. Namque alii quidam regni optimates Othonem



Bavariae ducem introductum in Hungariam, perductumque, Albam regem quoque appellatum coronaverunt, a Ladislao ablato diademate illo, quo legitimi Hungarorum reges coronari consueverunt. Sed a Ladislao Vajvoda non multo post captus, in carcerem coniectus est. Fuit tamen deinde libertate ab illo donatus, ea adiecta lege, ut Hungaria illico excederet. Sunt nihilominus qui affirmant, effugisse illum e carcere coronamque secum asportasse. Cumque ille cui custodienda portandaque fuerat tradita illam amisisset, reperta est a viatoribus, per viam ubi ceciderat iter facientibus, qui Vajvodae ipsam restituerunt. Redeo ad Carolum.

## Index XIX.

Post haec missus Gentilis sacrosanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis ab apostolica sede legatus, ita persvasit Hungaris, ut depositis odiis sublatisque similitatibus absque ulla relictatione Carolum regem susciperent. Acto itaque Albae omnium optimatum conventu, summa cum omnium laetitia regni coronam accepit. Magna cum laude regnum hic suum tenuit annos duos et quadraginta. Tres duxit uxores: Mariam natione Polonam Cazimerii ducis filiam; Beatricem filiam regis Romanorum; Elisabetham filiam Ladislai regis Poloniae. Illae absque ulla sobolis susceptione decesserunt; ex hac vero suscepit filios quatuor: Carolum, Ladislaum, Loym qui et Ludovicus nominatus est, et Andream.

Quidam e suis domesticis Felicianus nomine maligno adductus furore paravit insidias, quibus ipsum una et reginam ac eorum liberos interimeret. Sed patrari execrabile facinus non est passa divina benignitas, detectae namque insidiae fuere. Idcirco debitas iubente rege dedit pro tentato scelere poenas. De ipso enim, deque sibi necessitudine coniunctis supplicium sumtum.



Bellum gerens adversus Matthaeum Trenchinium, hominem genere nobilem, et armis opibusque potentem, qui Hungariam armis infestabat, illius ingentem exercitum proelio vicit. Regnum suum prudentia rebusque fortissime gestis non conservavit modo tutatusque est, sed auxit etiam plurimum. Copias instructas atque expeditas non solum bello, sed pace quoque semper habuit; ut quoties rerum exigeret necessitas praesto essent. Ita ingens facta est eius apud cunctas pene orbis terrae nationes auctoritas. Sua ditone tenuit Dalmatiam Croatiam Serviam Lodomeriam Russiam Cumaniam Bulgariam Bosnam.

Vixit christianissime ideoque multis christiano homine dignis virtutibus ornatus, inter orbis principes non mediocriter enituit. Erexit aedem apud Lippam in honorem Sancti Lodovici Ordinis Fratrum Minorum, qui eius fuerat frater. Constituit et ibidem coenobium in quo eiusdem Ordinis sacerdotes Deo famularentur. Albae, beatæ Mariae Virginis aedem quae saepe conflagrare ante solebat, plumbeis textit laminis. Cumque postea ipso vivente etiam conflagrasset, plumbo ipsam denuo textit. Obiit anno humanae salutis MCCCXLII. XVII Calendas Augusti, Albaeque sepultus est.

## Index XX.

Ei successit Ludovicus filius, quem ex Elisabetha uxore, Poloniae ut iam dictum est regis filia susceperat. Fuit animi magnitudine religioneque atque aliis multis christiano principe dignis virtutibus parenti non modo simillimus, sed etiam par. Paternum regnum et gloriam conservavit et auxit. Bello et terribilis et fortunatissimus, pace mitissimus. Huius frater fuit Andreas ille Siciliae, sive mavis regni Neapolitani rex, cui nupsit Joanna Roberti regis filia; quae Andrea ipso non modo despecto



verum etiam abdicato, nupsit Philippo<sup>1)</sup> principi Tarentinorum. Post multas deinde ei illatas iniurias ipsum interfecit; ut suo loco ostendi texens catalogum regum Neapolitanorum. At vero Ludovicus ea de causa cum valido exercitu semel et iterum profectus ad Ioannae regnum, fratris necem ultus est, multisque ibi fortiter glorioseque gestis in suum rediit regnum. Elisabetha quoque eius mater in filii auxilium antequam illi necis insidiae a dira coniuge pararentur Neapolim usque navigavit. Composita deinde inter filium et nurum concordia Romam perrexit. quo beatorum Apostolorum Petri et Pauli corpora veneretur.

Duxit hic rex uxorem Margaritam virginem praestanti forma Caroli marchionis Moraviae filiam. Ceterum ea immatura morte defuncta duxit Elisabetham filiam Stephani bani, viri genere insignis, ex qua tres ei filiae natae sunt: Catharina Maria Adviga. Misit copias contra Tartarorum exercitum, qui invaserunt Transsylvanos et Siculos; illosque duce Andrea Laczico profligavit. Fudit et copias aliquot rebellium qui in Croatia et Dalmatia motus magnos exciverant. Duxit in Italiam potentem contra Venetos exercitum, qui sibi occupaverant Dalmatiae partes maritimas, easque restituere cum essent ditionis regum Hungariae, recusaverant. Aliquot eis urbes, in quis fuit Tarvisium, multaque castella ademit. Nec destitit ab armis, donec ei, quae occupata ab illis fuerant restituerentur. Misit et auxiliares copias summis pontificibus Innocentio Gregorio et Urbano, propterea quod nonnulli Itali tyranni multa Romanae ecclesiae oppida suae ditionis fecerant. Expugnavit Bosnenses et Bulgaros qui ab ipso defecerant. Alias multas suscepit expeditiones in suos adversarios, in quis fuit Carolus imperator; de quibus omnibus magnam fuit gloriam consecutus. Lituanos infestantes Russiam, quae tum ei parebat, vertit in fugam; deditque operam

<sup>1)</sup> lege: Ludovico. Vide Font. III. pp. 153, 171.



ut ea gens, cum abhorreret a pietate christiana, Christi susciperet cultum.

Ipsius praeterea cura effectum est, ut Comani genus hominum ferox et imperitum,<sup>1)</sup> qui Tartarorum ritu, et absque ulla religione ante vitam egerant, ad Christi fidem converterentur, Navavit et operam ut Patareni, Bosnensis natio, abiecta execrabili illa Manicheorum haeresi, cui perdiu inhaeserant ad fidei veritatem unitatemque redirent. Verum perfidi homines haud multo post ab eorum haeresiarchis persuasi ad pristinos redierunt errores. Pepulit ex Hungaria Judaeos, eo praecipue, quod foenore multos ad extremam redegerant inopiam. Electus et coronatus fuit Poloniae rex: tantum valuit eius apud externos auctoritas. Sub eo beati Pauli primi heremitae corpus e Venetiis in Hungariam translatum est. Constituit autem complura coenobia, in quibus viverent heremitae, qui ipsius beati Pauli religionem profiteri se dicunt. Obiit mortem anno domini nostri Jesu Christi MCCCLXXXII. III. Idus Septembris. Sepultus est Albae, in sacello quod vivens extruxerat (iuxta) aedem beatæ Mariae virginis. Regnavit annos XL. Morte eius imminente crinita apparuit stella, quae tanti principis e vita exitum, absque ulla dubitatione significavit.

## Index XXI.

Reliquit filias duas, quarum natu grandiore Mariam nomine puellam adhuc, destinaverat uxorem Sigismundo, qui et ipse erat tum admodum puer, eratque marchio Brandenburgensis, et filius, Caroli imperatoris regisque Bohemorum. Illo itaque mortuo ea puella totius senatus Hungarorum consensu regina coronatur, decerniturque ut non minus quam si esset rex, apud ipsam rerum

<sup>1)</sup> prima editio: imperium, nullo sensu.



summa constaret. Cum Elizabetha igitur matre, cuius usa est consilio, coepit primo magna cum laude cuncta administrare, prout tanti regni curae exigebant. Haud tamen multo post fit Elizabetha prava consultrix, persuasa videlicet quorundam factiosorum consiliis dolosisque suggestionibus. Coepit namque multis ex hungarica nobilitate praestantibus viris suas adimere, et aliis tribuere facultates honores dignitates, quos illis Ludovicus ob merita ostensarum ab eis virtutum impenderat. Ob rem itaque adeo indignam multae toto in regno seditiones ac simultates oriuntur. Quocirca placuit plerisque ex Neapolitano regno accersendum in Hungariam Carolum cognomento Parvum, qui fuerat filius Andreae<sup>1)</sup> eiusdem regni regis, Ludovici vero nepos, cui regni Hungariae successio deberi iure videbatur. Facile ille persuasus venit in Hungariam, et regni coronam fautoribus illis a quibus fuerat accersitus consecutus est. Ceterum Elizabetha gravi ob id affecta molestia dat operam, ut per amicos Carolus obtruncaretur. Id ubi est factum, regni administratio denuo ad reginam

---

<sup>1)</sup> Noster hic ut alibi saepe Turócium est secutus, qui et ipse sua a Laurentio de Monachis accepit, qui licet iisdem vixerit temporibus, Carolum tamen hunc filium fuisse Andreae falso putabat. „Ipsam Carolum, quondam dominus Andreas Siciliae rex frater quondam Lodovici regnis carnalis genuerat.“ Turóc. hist. Car. cap. II. Sed filius Andreae regis Carolus Martellus puer quadrimus in Hungariam ad aviam suam Elizabeth missus brevi tempore anno 1348 defunctus est. Vide Font. III. pp. 151. 153. Carolus Parvus pronepos fuit Mariae filiae Stephani regis nostri, quae cum Carolo II dicto Claudio novem filios genuerat. Horum octavus Joannes dux Dyrrachinus tres habuit filios: Carolum, iussu Ludovici regis Aversae caesum, Ludovicum et Robertum, qui captivi in Hungariam ducti sunt. Huius Ludovici Dyrrachini, a Johanna regina postquam in patriam reversus est necati, filius ex Margarita ducis Sancti Severini filia fuit Carolus Parvus. Vide genealogiam horum accuratam apud Bonfinium Dec. II. 1. 9.



pervenit. Ea re Sigismundus Mariae sponsus cognita, quam celerrime pergit in Hungariam, rexque appellatus regni corona donatur, agens aetatis annum XX. Erat autem is annus ab incarnato Filio Dei MCCCLXXXVI. Hic est Sigismundus ille, qui postea fuit Romanorum ab Octavio Augusto vigesimus quintus imperator; de quo suis in locis supra, multa quae sunt visa relata digna prodidimus. Fuit et rex Bohemorum, quorum regnum adeptus est mortuo Vineslao eius fratre. Huius regni coronam suscepit anno ortus domini nostri Jesu Christi MCCCCXX. Obiit diem suum in Moravia, quae regio ditionis est regum Hungarorum. Regnavit in Hungaria annos LI, vixit annos septuaginta.

## Index XXII.

Generat Sigismundus ex uxore nomine Barbara Ermandi Ciliae Comitis filia Elizabetham, quam vivens Alberto Austriae duci matrimonio iunxerat. Illo itaque extincto Albertus et Hungarorum rex coronatur, et in Bohemiae regnum illi succedit, consensu praeterea eorum, quibus huiuscemodi res curae esse consuevit, imperator eligitur Romanorum. Fuit is magno animo vir, et christiana fidei defensor acerrimus. Movit namque bellum adversus Hussitas, idest contra Bohemos illos, qui Joannis cognomento Huss errores, contra sacrosanctae catholicae ecclesiae fidem affirmant, pertinaciterque tenent ac praedicant. De quorum damnata haeresi suo in loco, quae fuerunt cognitu necessaria perstrinximus. Duxit quidem christianissimus princeps in illos numerosum exercitum; sed occurrentibus quibusdam suarum rerum difficultatibus necesse ei fuit a suscepta expeditione desistere. Parantem postea bellum adversus illos denuo gerere, immatura mors rapuit; quippe qui paulo minus duobus annis regnum tenuit. Vita excessit anno salutis humanae MDCCLXXXIX. Albae sepultus est.



## Index XXIII.

Moriens Albertus, cum adessent aliquot e regni optimatibus, Elizabetham reginam gravidam ex se factam asseruit: Memineritis inquit, viri Hungari, eum iure futurum regem vestrum, quem regina vestra partu ediderit. Fuerunt ex iis qui tum aderant, qui regis dicta nihili penderent; plerique vero eius verba memoriae mandavere. Nec plane sine consilio, ut videlicet exspectato partus tempore, quod faciendum rex monuerat, magna cum fide exsequerentur. Illi igitur, qui morientis regis verba despexerunt, censuerunt nequaquam exspectandum reginae partum; id enim si fieret, actum esse arbitrabantur de regno Hungariae. Nam quid aliud exspectaretur, quam quod Hungarorum respublica regeretur a femina, quae non suo sed aliorum consilio regnum moderaretur. Timendum esse regno amplissimo exitium, si tantisper esset exspectandum, dum nasciturus infans ad tenendum regnum esset idoneus. Idcirco malle se accersere virum quempiam externum, quem regem sibi constituent, quam quod vel feminae, vel infantis tutoribus et educatoribus esset tanti regni credendum imperium. Itaque decretum ab illis est accersendum Vladislaum iuvenem morum elegantia praeclarum Lituaniae ducem, regisque Poloniae fratrem. Is quam celerrime adiit Hungariam, ac favore illorum qui ipsum produxere Budam ingressus est anno Dei et domini nostri Jesu Christi MCCCXL. Alii vero permulti, quos nondum Sigismudi ceperat oblivio, eiusce-modi rem gravissime, atque iniquissimo animo tulere.

Inter haec regina peperit, natoque infanti indidit nomen Vladislaum. Mox adiit Albam secutaque est eam haud mediocris pars hungaricae nobilitatis. Ibi datur opera ut infans vix quartum aetatis agens mensem coronaretur. Affuit tunc magna auctoritate vir Dionysius Strigoniensis antistes, ac S. Romanae ecclesiae presbyter Cardinalis,



qui infantem de more et inunxit et coronavit. Is praeterea aliquotque ecclesiarum praelati, ac multi regni proceres in reginae, novelli tamen regis nomine verba iuraverunt. At vero regina muliebri astu decepit praefectum arcis Vicegradi, quo in loco diadema, fidei namque illius erat creditum, servabatur. Cum enim ad reponendum in suo loco coronam itum est, regina non plane illam, sed aliud quiddam in arca reposuit; arcam autem obseravit clavi, deque more obsignavit sigillo, illudque simul et clavem arcis praefecto, cunctis qui aderant spectantibus restituit; nec quisquam fuit ex illis, a quo excogitatus a femina dolus deprehenderetur. Ita coronam per dolos retentam illa subripuit, nec multo post inde excedens adiit Fredericum Austriae ducem regemque Romanorum, qui Vladislao erat consanguinitate propinquus. Non enim dubitabat astutissima mulier, quin apud Fredericum et novellus et infans Hungariae rex educaretur fidelissime et delata ad se corona servaretur quam diligentissime. Redeo ad Vladislaum,

Veniens in Hungariam miro eorum, qui alterius erant factionis favore susceptus est; multi quoque ex plebe partes eius secuti sunt. Ita paulatim fuerant auctae eius et opes et auctoritas; breviter; rex a plerisque appellatur. Cumque coronari ipsum oportere ab amicis acclameretur, quaesitaque in sua loco corona minime inveniretur; rei supplementum haud indecens excogitatum est. Quodam enim diademate, quod una cum sacris beati Stephani olim Hungarorum regis reliquiis servabatur, ipsum coronaverunt. Corona illa, quam dixi a regina subreptam, est quiddam apud Hungaros in primis religiosum atque venerabile; estque apud gentem eam pertinaci quadam cura per diu servata consuetudo, ut nemo vel creetur vel appelletur rex, qui non eo coronetur diademate. Perhibent namque coronatum illo fuisse, beatum, et sempiterna memoria dignum regem Stephanum, cuius supra regnum vitamque perstrinximus. Subsecuta sunt post haec



procerum magna inter se dissidia, intestinaque bella moveri ac parari per universam Hungariam maximo animorum ardore coepere. Nec dubitari potest quin tam periculosa bella, sine variis ac miserabilibus stragibus caedibusque et cladibus, atque multiplicibus praedis et direptionibus agrorumque vastationibus gesta sint. Tot autem tantisque atque aliis permultis malis afflictata est Hungaria annis ferme duo de triginta. Hinc enim inter se arma conserebant Hungari, indeque Bohemus; hac Polonus infestabat Hungariam, alia ex parte Amorus Turcarum tyrannus eiusmodi discordiarum nactus occasionem Hungariam ipsam invadere cogitabat. Jam enim paulo post Alberti mortem, cum ingentibus exercitibus suos coeperat egredi fines, ut sibi quascunque posset regiones, gentesque subigeret christianas. Jam subacta inferiore Misia, penetraverat in superiorem, cuius portio quaedam est Rascia, quam vocitant Serviam. Eam autem nationem brevi et absque magno suorum discrimine, in suam ille redegit potestatem. Mox ingredi parabat Hungariam, qua ei regioni est contermina ipsa superior Misia, et nisi ingentibus illius conatibus obviam itum esset opera opeque et armis Joannis Corvini, cuius multa fortia facta supra idoneo in loco memoravimus, actum iam prorsus fuisset de re Hungarorum, deque universis Hungariae propinquis conterminisque regionibus, in primis de nostra Italia. Omnia quippe in ipsis Turcae fortasse nunc longe lateque tenerent, sublatis christianorum principum imperiis, uti fecisse eos constat apud graecas nationes: eiusce namque calamitatis est adhuc memoria recens. Ab Hungaris igitur et a ceteris eis finitimis nationibus christianis, immortales agenda sunt Joanni Corvino gratiae, qui Hungariam a futura audacissimaque illa Turcarum irruptione invasionequae servavit. Ad eas autem intestinorum bellorum saevissimas tempestates discordiasque placandas missus est ab apostolica sede legatus Julianus Caesarinus natione Romanus sanctae Romanae ecclesiae diaconus Cardinalis, de



quo supra suo loco pauca mentione digna prodidimus. Is dum navat operam ut pax componeretur inter Elizabetham reginam et Vladislaum, regina ipsa moritur; quamobrem obvenit ut Vladislai auctoritas apud omnes plurimum augetur. Ad quod hoc accessit potissimum, quod Joannes Corvinus eius partibus maxime favit. Qui sub eo bellum postea gerens adversus Turcas, intra paucos menses multas victorias magna cum laude assecutus est. Quae supra ubi facta est de ipso mentio commemoratae sunt. Postea cum Vladislaus persvasus a legato bellum movisset adversus Amaratum, commissoque cruentissimo illo maximeque memorabili proelio, quo christianus ingens exercitus infeliciter dimicavit cum Turcis. A. C. MCCCCXLIII. ut supra quoque suo loco tradidimus strenuissime rem gerens oppetiit. Agebat autem eo tempore annum aetatis primum et vicesimum, regnavit annos quatuor.

## Index XXIV.

Erat per id temporis Vladislaus Alberti filius annos natus quinque, idcirco cum per aetatem non esset idoneus cui regni traderetur administratio, habita ratione rerum gestarum, aliarumque multarum virtutum, spectatae praesertim multis in locis fidei Joannis Corvini, magno totius Hungariae consensu, delectus ipse est qui regis loco, Vajvodae tamen appellatione universum regnum cum imperio moderaretur, ipsumque sua illa animi magnitudine, illaque in rebus gerendis ei arridente fortuna tutaretur. Eam electionem secutus est omnium populorum mirus applausus, gaudiumque non mediocre, et laetitia incredibilis; tanta namque erat virtutis viri apud omnes Hungaros existimatio. Is ante omnia, quae sunt ei visa factu necessaria, curavit ut corona, una et Vladislaus puer Alberti olim regis filius, quem Fredericus Augustus apud se tenebat ut ante dictum est, recuperaretur. Sed cum



ille restituere recusaret, quod iure postulabatur; indignitatis Joannes impatiens infestis armis excurrit per multa loca, quae tenebantur illius ditione, per Carinthiam praesertim et Carneolam Stiriamque. Et praeterquam quod multarum civitatum atque villarum agros incendiis ferroque vastavit, ingentem etiam inde praedam pecorum, atque hominum traxit. Fecit id vir prudentissimus consilio, ut Fredericus ob receptum tam grande detrimentum ad restituendum Hungaris, quod suum erat adduceretur. Sed ille parum id curavit, perinde atque ad rem suam nihil attineret. Fuere ea tempestate permulti mortales, qui Fredericum accusarent ignaviae desidiaeque, propterea quod cum illi non deessent opes, quibus potuisset repugnare hosti, se tamen domi continuit, et violentiae non restitit; quia cum esset princeps christianus, quod sciebat non esse suum, sibi retinuerit tam obstinata pertinacia.

Movit et bellum Joannes, quod ad extremum confecit feliciter adversus Georgium Serviae despotum, a quo fuerat magna et indigna, et quae non erat aequo animo ferenda, laccessitus iniuria Confecto namque bello, quod ei fuerat cum Turcis, rediens per Serviam in Hungariam, diversatus est apud ipsum Georgium, a quo credebat amice se hospitio suscipiendum: at vero ille hospitii iure violato non amicum sed hostem Joanni se exhibuit. Captum enim ipsum carcere observavit; nec inde abire permissus esset, nisi Ladislaum filium, obsidem aequo illum reliquisset. Susceptis tamen armis adversus illum haud multo post profectus, cum multum agrorum una prope excursione per Rasciam pervastasset; suscepit et expeditionem contra Bohemos, qui suis egressi finibus, aliquot Hungarorum castella expugnaverant, ipse vero non modo occupata recuperavit, sed et profligato hostium exercitu, multa castella multumque agrorum illis ademit. Post haec multa paravit in eius nationis exitium, quae plane confecisset felicissime, nisi eius coeptis fuissent impedimento, nonnullorum ex hungarica nobilitate in ipsius caput paratae insidiae. Ita que



adactus est necessitate, ut quae conceperat animo, in tempus differret opportunius. Deinde cum Amorus Turcarum imperator pararet invadere Rasciam, ideoque Georgius suis diffidens viribus Joannis petivisset auxilia; ut licet in ipsum aliquando peccasset, cum tamen esset homo christianus, non esset a duce Christianissimo in tanta mole rerum deserendus: non abnuvit ipse, sed et opem illi tulit, et affuit. Cum suis enim copiis Turcis ivit obviam, commissaque pugna victor evasit: quippe qui plerosque illorum vertit in fugam, multos occidit, illos autem qui erant bello meliores cum Frizebego illorum duce captos tradidit Georgio; qui pro sua libidine illos vel trucidaret, vel coniceret, in vincula, aut traderet suis a quibus auro redimerentur.

Paucis postea interiectis mensibus cum Fredericus Caesar ageret in Nova civitate, quod oppidum in Austria est, nec vellet restituere Vladislaum Hungaris, qui illum, quod erat eorum rex, posebant: ab illis Joannis consilio ac iussione obsessus est. Perseveratumque fuit in obsidione, donec affectus ille taedio, regem illis tradidit. Cur autem tradere illum ante noluerit hanc reddebat ipse causam, quod timebat adolescentulo, ne videlicet si in manus venisset Hungarorum, fore fortasse quempiam, qui ad illum necandum aliquid pararet insidiarum. Ceterum post multa ultro citroque dictitata res ita composita est ut Hungari aequo paterentur animo, ut a Caesare adhiberetur adolescentulo vir aliquis natione Germanus, qui illi assisteret illumque educaret, donec ad regnum administrandum esset idoneus. Ubi inter ipsos ita conventum est, permittente Caesare Hungari Vladislaum laeti Vienneam honestissima Germanorum nobilium frequentia comitatum deduxere.

## Index XXV.

In ea urbe ubi de rebus agendis multa dicta agitatae sunt, decretum tandem, ut eo convenirent ex



omni Hungaria optimates, a quibus in novelli regis verba iuraretur. Itaque ut primum omnes convenere de more a singulis iuratum. Fecit id ante alios Joannes Corvinus, qui et sponte sua summo illo magistratu, quem octo annis magna cum laude gesserat, se coram universo conventu abdicavit. Rex autem prudentum quorundam consilio usus, illi et Bistricensem contulit comitatum, et quo se abdicavit magistratum restituit. Post haec eum rex egregie laudatum magnificeque donatum in Hungariam remisit, una et omnem Hungarorum illam nobilitatem, quae Viennam gratia rei quae commemorata est convenerat. Interiecto dein tempore perrexit rex ad suum regnum, ingressusque est Budam anno ab ortu Salvatoris mundi MCCCCLIII. Illic dum commoratur accepit Mahamettum Turcarum imperatorem, qui nuper Amoratto patre defuncto in illius successerat et imperium et opes, expugnata iam urbe Constantinopoli parare expeditionem in Hungariam; percrebuisseque rumorem, illum et iam adventare, et velle invadendae eius principium facere a Taurino, quod oppidum magis vulgato vocabulo Belgradum cognominatur. Nihil itaque ulterius ibi demoratus, noctu una cum Ulrico Ciliae comite, cuius consilio praecipue regebatur, inde abiit, Viennamque profectus est. In ea quippe urbe ab Turcarum impetu arbitrati sunt Germani qui regebant regem, se tutiores fore; de regni vero salute nihil ab Ulrico et a ceteris, qui regem adolescentem regebant, cogitatum. Id eo res ipsa indicavit, quod Budensem arcem sine ullo praesidio deseruere. Putabant enim, eum qui tam brevi temporis intervallo expugnasset Constantinopolim Graecorum adeo facile exstinxisset imperium, prima irruptione, primoque impetu, ac una tantum excursionem universam sibi subacturum Hungariam, cum ei adiacentibus regionibus.

Satis superque de rege huc usque dixerim, de bello a Mahometto suscepto, quemadmodum gestum finitumque sit pauca subiicienda sunt. Id equidem omittendum non



censui, ne mihi praetermitteretur immortalitate digna laus quam Joannes Corvinus eo bello sibi comparavit. Suo namque ductu atque auspiciis causa Dei defensa est: quippe qui sine regis auxiliis paucitate autem militum, non solum obstitit potentissimi hostis viribus, sed eo etiam rem usque deduxit, ut ille victus, coeptam obmiserit expeditionem, amissaque magna suarum copiarum parte, in rem malam, eo unde venerat, hoc est in Thraciam redierit.

## Index XXVI.

Iam Mahumettus Belgradum cum ingenti armatorum exercitu pervenit. Ipsum igitur obsidet, et quanta maxima vi potest oppugnat. Hungarorum autem erat nemo, quamquam omnes maxime formidarent, qui aliquid vel de sua vel de patriae salute cogitandum proponeret. Adducti namque exemplo regis, plerique ad cogitandum de locis, ad quae eis esset fugiendum, converterant animos. Est Belgradum situm in Rasciae, seu mavis dicere Serviae, vel superioris Misiae finibus, hoc est, non a parte Hungariae, sed penes tamen Danubium ab una eadem parte, ab altera vero penes Savum qui fluvius ibidem Danubium ipsum ingreditur. Itaque non a terra tantum sed a fluvii quoque, navigiis adverso tum Danubio, tum Savo tractis oppidum ipsum obsidione longe lateque cinxerat; quo fiebat ut nulla ex parte possent obsessis auxilia ferri. Sunt qui dicant in Mahumetti exercitu fuisse ad CCCC millia hominum, alii ducenta millia, nonnulli millia centum et sexaginta, sed ea lectissima fuisse: quamquam non inficiantur multa alia millia ad eandem concurrisse expeditionem, spe consequendi praedam inaestimabilem. Namque expugnato Belgrado, quod sperabant fieri posse perfacile, non dubitabant inde apertam eis fore viam, qua brevi tota Hungaria perdomaretur. Quatuor et sexaginta tiremes, et aliorum generum alia permulta navigia trahi



Mahumetus iussit adverso flumine, partim a mari Pontico, partim a locis aliis Danubio proximis, quibus vecta sunt machinamenta, quae essent bello gerendo necessaria. Quamvis autem inter cetera vecta sint aenea tormenta, quas vulgo vocitant ut aliis in locis supra docui, bombardas, et variae magnitudinis, et paene innumerabilia; fuere tamen duo et viginti, quae alia omnia superavere. Fuerunt enim ad os, unde saxa excuti solent altitudine pedum septem, trium autem et viginti longitudine. Hoc vero magna admiratione dignum, non est mihi silentio praeteriendum. Excussa bombardis saxa, quamquam murum aliaque multa, dum oppugnaretur oppidum, diruerunt: neminem tamen unquam occiderunt, praeter mulierem quandam vetulam, quae inter oppugnandum temere domo egressa est. Tentoria sua locavit Mahommetus in edito quodam loco, unde circumquaque cernere posset castra, quae multum terrae spatii longe ac late compleverant. Tumulum illum ubi erant locata tentoria, circumstabant tentoriola fidorum militum capitis sui custodum, quos Turcarum lingua nominant Janizzaros. Disponendis bellicis machinis praeferant magna ex parte Itali Germanique homines. Eorum autem quae erant usui bombardis, negotium Germanis Hungaris Bosnensibus ceterisque Dalmaticis datum. Ceterorum qui erant in exercitu militum cura erat vel oppugnare oppidum, vel ad vastandum agrum excurrere.

At Joannes Corvinus cui semper fuit ingens cupido dimicandi cum christiani nominis hostibus, turpe maximeque periculosum ducens regis et Ulrici atque Hungarorum negligentiam tolerandam diutius; ad hanc solum curam convertit animum, ut per se non staret, quin summae totius non tantum Hungariae, sed rei quoque publicae christianae calamitati consuleretur. Quippe non eum fugiebat actum iam esse de re hungarica, si Belgradum in Turcarum redigeretur ditionem; inde namque esse ei genti aditum, ut in regnum Hungariae irrumperent. Qua-



tuor sunt huic loco vocabula. Ptolomaeus Taurinum nominat; alii quidam geographi veteres Albam; recentiorum alii Belgradum, nonnulli Nanderalbam appellant. Duci igitur prudentissimo nihil fuit potius, quam ut excogitaret viam ac modum quo opem ferret obsessis. Idem enim oppidi murus ac tures vi tormentorum quotidie quasabantur, magnaque eorum pars conciderat, eorumque ruinis compleri fossae incipiebant. Ita paulatim fiebat via qua oppidum hostis ingrederetur. Obsessi quamquam erant in extremum rerum discrimen adducti, et animis turbabantur; tamen in primis Deo eorum causam quae et Christi erat, Christo commendabant. Hoc nihilominus sperabant, non defutura sibi in tempore auxilia, modo praestaret Deus ut Corvinus superesset.

Dum haec Belgradi geruntur, Corvinus comparat ex Hungaria quantum potest pro temporis angustia armatorum manum. Jam enim regis vice regnum ipse ut ante dictum est administrabat. Ceterum cum esset invisus ob livorem nonnullis illorum, quorum consiliis regebatur rex; Ulrico praesertim Ciliae comiti, homini natione Germano, regi ipsi consanguinitate coniuncto, in inferiori Pannonia per id temporis vitam transigebat, in quodam suae ditioris castello cui Corvino est nomen. Auctoritate igitur quaungebatur coegit militum quam dixi manum; coegit et illos qui sub eo ante militaverant, et idcirco variis bellorum usibus consuefacti idonei erant, qui ad eam militiam accerserentur. Venerat sub idem tempus in Hungariam Joannes Capistranus ex Italia, vir nostro seculo sanctitatis vitae apud omnes opinione praeclarus, ordinis Fratrum Minorum, missus a Calixto pontifice maximo, qui concionando Alemanos Polonosque et Hungaros aliasque his vicinas gentes cohortaretur, ut pro tuendis Hungariae finibus contra Turcas arma susciperent; si qui vero ab ipso persvasi, vellent in tam piam proficisci militiam, eos cruce de more signatos, eisque data peccatorum omnium iuxta S. Romanae ecclesiae consuetudinem venia, coniu-



geret exercitui, quem Corvinus coegisset, ut sub tanti ducis auspiciis atque disciplina Christo militarent. Paruit Capistranus iussioni tum pontificis tum Joannis legati sedis apostolicae Sancti Angeli diaconi Cardinalis, natione Hispani, quem ad excitandos christianorum animos ad eas, quarum memini provincias, pro tuendis a Turcarum impetu Hungariae finibus miserat et pontifex, et sacrosanctae Romanae ecclesiae senatus. At quamquam Capistranus multa peragratus loca nimium laboravit, pauci tamen persvasi ab ipso fuere qui arma suscepissent. Causa fuit, quod etsi itala lingua erat in concionando facundus, ac disertissimus; quia tamen apud nationes quas dixi concionandum ei fuit per interpretes, qui in dicendo nesciebant apte explicare, quae ipse sapienter pronuntiabat, eius verba susceptique labores ad rem cuius gratia concionabatur parum profuerunt. Nam vix quingentorum numerum viri, quos cruce signatos coegit, excessere; illos tamen coniungi copiis Corvinus permisit. Cum ipso autem Capistrano multa communicavit de gerendarum rerum ratione: hoc tandem inter ipsos decretum est, ut alter eorum Deum precando, alter belligerando rem iuaret christianam. Corvinus itaque quod suum erat aggressus celeriter comparat, atque ut postulare visa est res gerenda, instruit navigia quotquot haberi potuerunt. Fecit id dux solertissimus, hoc potissimum consilio, ut vectus ipse instructus navigiis, secundo flumine se impetu facto ferret in hostiles naves, quae haud procul a Belgrado alligatae catenis erant impedimento ne quid opis ferri possit eis, qui obsidebantur. Hanc enim excogitavit viam qua ad obsessos, nostrorum praesidia penetrarent; ut videlicet via nostris facta, navibus hostium triremes ceteraque navigia vel fugarentur, vel caperentur, vel incenderentur. Affuit fortuna solertiae. Quadraginta solum fuere naviculae illius generis, quo uti solent Hungari ceterique homines, qui per Danubium navigantes onera quorum indigent mortalium usus, ex aliis ad alia loca transportant. Quamvis igitur eiusmodi generis



essent nostrorum naves, eis tamen armatorum strenuissima manus, sub duce fortissimo vecta est. Quocirca nihil prorsus formidantes Turcarum triremes, facto impetu in illas deferuntur. Initur certamen, res magnis animis cominus geritur. Breviter: licet non sine cruentissimo Marte quo permulti utrinque cecidere, ad extremum tamen vicit Corvinus, partim succensis Turcarum triremibus, aliisque navigiis, et ipsorum defensoribus vel trucidatis, vel submersis in fluvium, partim solutis oris<sup>1)</sup> in fugam deorsum versis.

Facta in eum modum via Corvinus cum universis copiis castellum ingressus, obsessos in quis erat Capistranus multifariam consolatur. Commendat praecipue Capistrani diligentiam, qui non modo suis acceptis Deo precibus rem adiuvisset Christianam, sed castelli etiam defensores ad repugnandum obsistendumque oppugnantibus hostibus, suis cohortationibus incendisset. Commendat deinde fortem propugnatorum operam, magnamque virtutem, qui adeo constanter et strenue tam potenti hosti, tamque numeroso exercitui multifariam exiguum oppugnantem oppidum restitissent. Adiecit ad haec, fidelitatem illorum sibi commoverisse, ut Deus non deseruerit obsessos christianos in tanto vitae rerumque discrimine. Qui vero pugnando caesi essent a Turcis, eos migrasse e mortali vita ad sempiternam felicitatem. Qui item eodem bello fortiter rem defendentes christianam oppetiverint, eos haud dubie quoque evoluturos ad coelos, quo illi antecesserunt, sedes inter felices animas habituri gloriosas. Posteaquam haec aliaque his similia, quibus illi mire incensi sunt ad perseverantiam locutus est, iussit universis ut ante omnia curarent corpora, deinde ut se ad certamen pararent. Arbitrari namque se ait, ut Mahammettus iniquo ferens animo cladem, quam ex incendio fugaque navigiorum suorum, triremium praesertim acceperat, omni qua posset

<sup>1)</sup> lege: proris.



vi oppugnare castellum adniteretur. Quam ad rem existimabat Corvinus eo fuisse illum praecipue adductum, quod expugnato loco conversurus esset suam omnem rabiem atque furorem in caput ducis, cuius virtute tam solerter obsessis et iam expugnandis lata auxilia fuissent. Curatis itaque uti Corvinus svaserat corporibus, quam celerrime datur opera, qua pararentur, quaecunque essent ad resistendum futurae oppugnationi necessaria. In primis autem curatum est, ut murus et propugnacula vi bombardarum magna ex parte diruta repararentur, deinde ut tormenta ceteraque arma idoneis in locis disponerentur.

## Index XXVII.

Eo qui insecutus est die evidenter cognitum est haud aliter evenisse, quam ut Corvinus arbitrari se asseveraverat. Namque ut primum illuxit, paratum iam ad oppugnationem Mahammetti exercitum nostri conspexere. Initur igitur certamen magnis animis. Primumque saxis excussis ex tormentis aeneis eximiae magnitudinis a Turcis muri absque ulla intermissione quatiuntur, quassatique saepe, tandem concidunt. Nostri quanquam necessitate coacti desierunt a defensione muri; tutantur tamen quod intus est quam validissime. Ut autem quatuor ferme horas acerrime utrinque pugnatum est, Turcarum ingens manus, facto agmine per murorum ruinas, nostris frustra renitentibus irrumpunt in oppidum. Id Corvinus videns, qui non solum ducis, sed militis etiam utebatur officio: ad suos qui iam terga vertere coeperant advolat, illos increpat cohortatur incendit, atque mox efficit ut conversi protinus in hostem repugnent fortissime. Conversus ipse deinde nunc ad hos nunc ad illos, cohortatur omnes ad rem strenue gerendam. Omnia circuit, omnia conspicit, omnia ordinat; breviter: nihil omittit eorum quae ducem eminentissimum, in tanto rerum periculo condecuere. Ef-



fecit itaque ut instaurato certamine nostri Turcarum conatibus fortissime reluctarentur. Miserrima igitur oritur caedes. Superiores erant Turcae multitudine, nostri virtute; idcirco ex illis longe plures caedebantur. Pugnatum ad serum usque diei. Tunc dedit immortalis Deus, ut maximo nostrorum impetu, qua iruperant hostes ex oppido pellerentur. Insequuntur nostri, multisque millibus illorum desideratis, procul a locis, per quae erant disposita illorum tormenta, et alia quibus fuerant usi ad expugnationem, eiiciunt. Inde victores domum versus redeuntes, quidquid reperiunt quod fuerat ab hoste fabricatum ex materia ut se tuerentur, incendunt. Tormentorum partem ferro perstringunt, partem proiiciunt in fluvium, partem comportant in arcem. Quod ut vidit Mahammetus soluta obsidione discessit, timens nequid sibi accideret infelicius. Christianorum tam gloriosae victoriae laus et honor Deo et Domino nostro Jesu Christo, pro cuius religione tuenda fuit ea pugna commissa, primum tribuendus est; deinde magnae virtuti fortissimi ducis; Joanni praeterea Capistrano, cuius conciones ad concitandos nostrorum animos haud mediocriter profuere.

## Index XXVIII.

Paucis post adeptam victoriam diebus incidit Corvinus in morbum gravissimum, quem contraxit ob nimium laborem, quem in re gerenda susceperat. Jam enim advenerat tempus, quo pro magnis suis in christianam pietatem meritis esset in coelo sua praemia consecuturus. Cum vero morbi vis vehementer invalesceret, ipso iubente delatus est ad oppidum quod Zemplen Hungarorum lingua appellatur. Fecisse id se dixit, ut in eo loco Deo spiritum suum redderet longe quietius. Eo Capistranus profectus ut amici religiosique viri uteretur officio, adhortari eum coepit, ut cum nihil spei de ipsius



vitae salute superesset, ne differet ulterius quo minus christianorum ritu suscipiat sacramenta, quae christiani homines solent in extremo vitae constituti suscipere. Mirari se ille respondit religiosi viri prudentiam, qui moneat moriendum christiane virum, qui pro christiana fide dimicando persaepe sese morti exposuerit. Igitur si nescivit antehac sciat nunc, eum semper dum fuit in vita in aetate virili, se et putasse peccatorem, et cogitasse moriturum. Idecirco perdiu se hoc servasse ut peccatorum confessionem, nunquam ultra mensem distulerit. Non ergo se nunc expectasse moriendi momentum; sed more christiani viri se ordinasse prudenter, quaecunque vel ad animae suae salutem, vel ad filios quos relinquebat, atque ad facultates ceterasque res domesticas suas, vel ad rempublicam totius hungarici regni, quam multis annis administraverat, pertinerent. Nec sibi reliquum esse aliud, quam ut sumat eucharistiam, suoque deinde tempore unctionis extremae sacramentum. Ubi ita fecerit, se non indignisse mortalis alicuius: sed solum Dei et domini nostri Jesu Christi consilii, cuius nomen et cultum ipse in omni sua vita adversus blasphemantes illum Turcas, multis bellis variisque proeliis defendisset. Ut vero cuncta ageret quae nunc commemorat, eo mortalem quempiam se noluisse consulere; quod servanda sibi fuerit sui illa existimatio et auctoritas, qua maxime valuisset apud universas pene christianas nationes. Nequaquam condecuisse virum, qui dum vixit professus tutatusque sit catholicam pietatem, alterius eguisse persuasionem, quo bene pieque vita excederet. Satis igitur supraque fuisse se a seipso persuasum, ut mori velit ritu christiano. His mox haec adiecit: „Gratias nihilominus tibi ago immortales Joannes mi pater in Christo charissime, qui religiosi in me viri officio tanto es usus humanitate: bono animo esto; domum unde huc te contulisti redi. Spero equidem illic te auditorum, Joannem Corvinum christiane suum obivisse diem.“ Capistrano dicente — — multis qui aderant e regni proceri-



bus, quos secum duxerat in expeditionem quae modo memorata est, patefacit quaecunque ille disposuerat testamento a se iam condito prius quam Belgradum eiusdem belli causa proficisceretur.

Vernacula lingua prolixam tunc habuit orationem, qua omnes est cohortatus, ut suo exemplo christianam primum fidem, deinde hungarici regni rempublicam a Turcarum rabie, atque ab omni alio hostili insultu defenderent. Svasit ut procul ab illorum animis esset discordia, cui si studuerint, et se perditum irent, et fore ut omne regnum eorum sine ulla dubitatione deleatur. Cunctis quidem, sed illis praecipue, quibus vivens fuerat usus familiaris, commendavit rem suam domesticam, liberos praesertim et coniugem, consanguineos praeterea et ceteros qui ei fuerant benevolentia coniuncti. Facto dicendi fine singulos suo appellatos nomine ad se ire voluit, dataque dextera, illos exosculatus est. Nemo ex illis fuit, qui non fleverit lacrymis uberrimis. Mira profecto, memoratuque digna illa fuere. At vero non sunt praetereunda silentio duo alia a se praebita christianissimi hominis exempla. Unum, quod noluit pati ut eucharistia ab ecclesia ad se deferretur; indignum ducens domum usque suam mundi redemptorem qui in eo lateret sacramento, accedere; quamquam non ignorabat posse id fieri pro aegrotantium necessitate. Licet igitur gravaretur vi maxima morbi; pedibus tamen suis, quamvis illis aegris sacrum adiit aedem. Ubi obortis lacrymis miraque pietate Christi corpus veneratus, eucharistiam sumpsit, domumque dehinc incredibili mentis gaudio laetitiaque affectus regressus est. Alterum hoc fuit: accepta extrema unctione, cum primum animadvertit se iam morti propinquum, portari se iussit ad sacellum quod ipse condiderat, ubi mortuus erat sepeliendus. Ubi iussit se extenso supinoque corpore humi collocari, succendi praeterea collocarique voluit ad caput ac pedes aliquot lumina, ut consuetum est in defunctorum fieri corporibus antequam



tumulentur. Exspectandum autem ibidem tantisper a quatuor Ordinis Minorum clericis, a quibus sacri psalmi dicerentur, dum exstingueretur. Eo moriente affuit Capistranus, a quo perfectae sunt orationes illae, quas sancti christiani patres legi constituerunt, quum Christi fideles mortis horae propinquant; vulgata autem appellatione nuncupantur: Commendatio animae.

Postea vero quam exstinctus est, his in eum usus fuisse verbis Capistranus fertur: „Vale coeleste sidus, heu cecidisti defensor Christianorum! Exstincta est lucerna Christiani orbis, heu fractum est speculum, in quod intuentes christiani propugnatores, non dubitabant de assequenda victoria. Ceterum, bone Joannes! tecum bene actum est. Nam superato hoste nominis christiani triumphas cum angelis, et regnas in coelo cum Christo. Tu igitur vere felix es! nos infelices, qui relinquimur in hac valle lacrymarum! O bone Joannes aeternum vale!“ Ingenti ob tanti viri obitum dolore atque moestitia affecti sunt, non solum universi Hungariae totius populi, sed omnes quoque orbis christiani nationes. Luxit eum Nicolaus Quintus<sup>1)</sup> pontifex maximus, omnisque Romana curia, quae tam fortem, tamque fortunatum ac pium christianae religionis defensorem amisit. Pontificis iussu Cardinalium senatus ei magnifice persolvit inferias. Ei solemnitati ipse interfui. Eius obitum visum est coelum universo orbi terrarum significasse. Crinitum namque sidus, quem cometem Graeci vocant, aliquot, antequam incideret in adversam valetudinem, diebus ab orientali apparuit plaga; quem ut ipse vidit, domesticis dixit, eo indicio multa quidem alia significari, sed obitum praecipue suum; ideoque non esse sibi morandum diutius, sed dandam operam ut dis-

---

<sup>1)</sup> Fuit is Calixtus III; nam Nicolaus anno superiore obierat. Capistranum a Calixto missum fuisse iam supra Indice XXVI posuerat auctor.



ponat domui suae, exspectetque vigilanter diem et horam qua ipsum Deus mortali vita eripiat. Nec secus quam praenuntiaverat evenit. Paucis namque diebus, postquam evanuit cometes invasit eum morbus quo sublatum ipsum fuisse ostendimus. Paucis autem post diebus, diem suum et Capistranus obiit, ut virum Dei servum decuit.

## Index XXIX.

Duos reliquit filios Ladislaum<sup>1)</sup> et Mathiam. Horum tam praeclara erat indoles, ut omnes quibus erant illi cogniti sperarent, ut uterque eorum esset paternas virtutes feliciter imitaturus. Ceterum cum Ladislaus ea iam esset aetate, qua militaribus exercitiis erat satis idoneus, a parentis latere perquam raro discedebat. Quae res causa erat ut parens ipse haud medioeri illum amore complecteretur. Animi magnitudine nulli aetatis suae iuvenum erat secundus, humanitate et liberalitate, quantum sua ferebat aetas, absque ulla controversia summus. Quibus rebus fiebat, ut a cunctis Hungaricis, paucis tamen ex invidis exceptis incredibiliter diligeretur. Mathias vero cum esset adhuc puer, quoties eius parens versabatur in rebus gerendis domi apud Elizabetham matrem educabatur. Patri nihilominus erat admodum charus et maxime amoenus; quippe qui in puerili aetate erat tanta corporis dexteritate, tantaque excellentia ingenii, eratque adeo ornatus aliquot aliis virtutibus, quibus bene instituti pueri praediti esse solent, ut ad quaevis magna natus, omnium prudentum virorum iudicio putaretur.

Turcarum clade, Joannisque Corvini morte accepta Vladislaus rex et Ulricus Ciliae comes, quos metu percussos ob Turcarum adventum supra ostendimus perfu-

---

<sup>1)</sup> Vaydafi Lászlo. nota margin.



gisse Viennam, rediit in Hungariam. Sequenti autem anno<sup>1)</sup> decreto eius coactus est primatum omnium conventus in oppido quod Futackum nominatur, quo totius Hungariae res, quae ob rei mutationem turbatae multifariam superioribus temporibus fuerant, ordinarentur. Ad eum locum venit et Ladislaus Corvinus Joannis Corvini filius cuius modo meminimus, magno suorum militum agmine comitatus. Consulto id fecit iuvenis prudentissimus. Non enim ignorabat vetera odia, quibus parentem suum ob invidiam Ulricus Ciliae comes fuerat dum ille viveret persecutus; amici namque ei consuluerant, ut omni studio caveret ab Ulrico, propterea quod sicut Joanni Corvino olim adversatus est, ita et eo animo ipsum esse, ut illius filium capitali odio semper esset habiturus. Idque dicebant se non ignorare; se namque haud dubie et animadvertisse et accepisse a regis aulicis Ulricum ipsum adniti, non modo apud regem minuere eius existimationem, verum etiam parare ei insidias, per quas necaretur. Eo igitur adductus consilio Ladislaus armatorum manu stipatus, ad conventum quem diximus venit. Satis praeterea superque erat ei notus inconstantis regis, quod esset iuvenis, animus, qui Ulrici voluntate cuncta administrabat.

<sup>1)</sup> Noster hic cum Bonfinio male conceptam Turócii sententiam sequitur, qui post narratum obitum Joannis Corvini sic continuat: „Elapsus est tandem sublationis ipsius domini comitis Joannis annus, tempusque erat cum aestas autumno appropinquante suos ultimos properabat ad limites, cum rex Ladislaus et comes Ciliae Ulricus — navali officio — magno cum strepitu venerunt in Hungariam.“ Chron II. cap. 58.

Si hic annus post mortem Joannis (Sept. 10. 1456.) sequens intelligatur; reditus regis, caedes Ulrici (Novemb. 12) et venia Ladislao cum iureiurando in arce Temeswar a rege data (Nov. 23.) contigerint anno 1457. Sed mors regis post annum in eum ipsum diem S. Clementis incidit (Nov. 23) quo sacramento se obligaverat viduae Joannis et fratribus Corvinis — „An tuae dispendium vitae



Soluto conventu perrexit rex Belgradum seu Nanderaltham visurus loca illa ubi Mahammetus castra locaverat, quo tempore id castellum obsedit. Nec minus percupiebat ibidem audire quidquid gestum fuit vel a nostris, dum rem defenderent christianam, vel a Turcis dum nostros et obsidebant et expugnare nitebantur. Illic animadvertens Ladislaus Ulrici animum nulla placari humanitate, sed magis magisque in dies niti ut regem in sui odium et indignationem adduceret, irae impatiens domum in quo ille diversabatur se confert; tamquam eo iret animo, ut illi rem suam apud regem commendaret. In illius itaque introductus cubiculum: Desine inquit, posthac Ulrice me meosque iniuriis lacessere. Quod si in sententia perstiteris efficiam, ut iras in te meas non plane sine tuo magno malo experiaris.“ Post haec alia quoque multa ultro citroque dicta, quibus alter alterum haud tolerandis lacessivit maledictis: ventum tandem arma. Id ubi senserunt Ladislai milites, qui ante domus fores suum ducem operiebantur; ruptis vi postibus cubiculum ingrediuntur. Qui ubi conspexerunt illos strictis ensibus in mutuam irruere necem, impetum faciunt in Ulricum, continuoque illum interficiunt. Necis fama illico perfertur ad regem; ipsi et omnibus quorum consilio regebatur, ingens terror iniectus. Quisque enim sibi timuit interitum; quippe verebantur, ne quis in ipsos a Ladislai militibus fieret impetus.

---

tuum per te ruptum sacramentum tibi non pepererit, dum per te praestiti iuramenti dies ultima anni primi non praeteriit, divina ultione regnis pariter et vita excessisti.“ Chron. II. cap. 59. Ergo anno 1458.

Quam chronotaxin ipse Turócius refellit. Nam electionem Mathiae regis ponit ad initium anni 1458. (cap. 63.) Indicta enim fuerant comitia in urbem Pesth ad festum Circumcisionis Domini (prima Januarii) 1458. ut Decretum in Corpore Juris Hungarici testatur. Chronica Budense et Dubnicense, morti regis Ladislai recte adsignant annum 1457. Reditus igitur regis in Hungariam conventus ad Futak caedesque Ulrici evenerunt eodem anno 1456.



Ladislaus confestim inde abiens quam celerrime petit castellum Temesuarum nomine, situm in inferiori Pannonia, opere naturaque et praesidio in primis munitum. Id eo factum ab ipso est, quod illic morabatur Elizabetha eius mater, una et Mathias eiusdem natu minor frater. Accedebat quod id castellum eorum erat ditionis, in cuius imperium paterna haereditate successerant. Rex itaque eodem et ipse proficiscitur, tentaturus videlicet, an ei illuc eunti Ladislaus reluctaretur. Quod si fecisset, defectionis accusari haud immerito posset, atque ita indignationem iure se in illum adducturum; eam ob rem vi armorum illum debellandum. At vero ei castello propinquanti Elizabetha cum Mathia filio tum adolescentulo obviam, quamquam lugubri amicta veste occurrit, propter coniugis obitum, a cuius tempore vix tunc annus agebatur<sup>1)</sup> Exceptus rex est a prudentissima femina magna cum obedientia, et habitus quam liberalissime. Id autem causa fuit ut rex Ladislao suppliciter ad se venienti perquam facile ignoverit. Quodque visum est multo clementius, ipsum Mathiamque eius fratrem iureiurando promisit fratrum loco se dum viveret habiturum. Ceterum mala mente maloque animo dolos meditabatur, uti postea rei exitus ostendit.

Paucis post diebus cum Budam rex adiisset, eodem et Ladislaus et ceteri Hungariae optimates perrexere. Regi erant acceptissimi complures, quibus Joannes Corvinus fuerat, dum esset in vita admodum invisus. Permolesse quippe illi ferebant ipsum ob varias excellentesque corporis animique dotes, de quibus mentio supra facta est, non apud Hungaros modo, verum etiam apud universas orbis terrae nationes, maximam sibi gloriam auctoritatemque vendicasse. Eo igitur mortuo, decreverunt navare operam ac prorsus hoc omni industria efficere, ut filii eius vita eriperentur, nequid vel generis vel memoriae

<sup>1)</sup> tertius currebat mensis.



tanti viri in Hungaria relinqueretur. Eo tamen maxime angebantur eorum animi, quod animadvertentibus Ladislaum esse iuvenem strenuum ac manu promptum, et ad rei militaris usum natum; ideoque non erat eis ambiguum, quin si vixisset, facile paternam gloriam esset tantus iuvenis consecuturus. Mathiae praeterea praeclara indoles eos non parum movebat ad invidiam, cum ad quaevis magna natus videretur. His de causis invidi multa regi suggerunt, multaque fingunt multa mentiuntur; denique ea moliuntur, quibus tandem rex datae fidei iurisque iurandi oblitus impulsus est ad decernendum, ut Joannis Corvini filii vita eripiantur. Cautius tamen agendum, quo res ex sententia peragatur. Spem itaque rex vultu simulans, Ladislaum blande saepe alloquitur. Jubet eum bono animo esse, hortatur ut inter regios laetus versetur, fratris loco a se absque ulla dubitatione ipsum semper habendum. Se iurisiurandi quam optime reminisci. His atque aliis eiusmodi verbis persaepe a rege repetitis effectum est, ut Ladislaus inter regis domesticos incautius versaretur. Inter haec Mathiam ex Temesuaro simulatis blanditiis Budam accersit. Paucis post diebus captato tempore, quo fieri res commode potuit, iubet utrumque fratrem et comprehendere, et coniicere in carcerem. Tertio a comprehensione die lata in Ladislaum ob necem Ulrici sententia: eo praesertim quod regi fuerat consanguinitate propinquus, tamquam reus esset laesae maiestatis, securi percussus est. Quod autem tunc accidit, maxima dignum admiratione, non est silentio praetereundum. Cum licet tertio ictu caput amputare non potuisset, Ladislaus quamquam erat manibus post tergum vinctus, viribus se suis erexit, stansque: „Jure inquit, evasi mortem quandoquidem tertio percussus ictu Dei benignitate adhuc supersum.“ His ab eo dictis, atque a multis qui adstabant auditis, illico processit per aliquot passus; sed impedimento longioris vestis quam pede calcavit, concidit in terram. Ita nonnulli ex illis, qui ad ipsum necandum perierunt impulerant



regem, iusserunt ut quarto ietu a lictore pereuteretur atque ita extemplo exstinctus est.

Omnis Hungaria praeter paucos illos qui fuerant mali conscii, ipsius indignam mortem tulit quam molestissime. Plerique profusis lacrymis dolorem ingentem ostenderunt; parumque abfuit, quin ab iniquo rege omnes defecissent. „En inquebant qualia praemia redduntur Joanni Corvino, cuius beneficio Hungariae regnum toties defensum servatumque fuit, ne in Turcarum veniret potestatem.“ Defectionem cohibuit armatorum ingens manus quae iussu regis supplicii locum et quae circa erant longe lateque compleverat. Exstincti corporis nulla cura habita: delatum solum est ad sanctae Mariae Magdalenae aedem; ibi regii milites a rege iussi per noctem illud diligenter custodierunt. Ubi autem illuxit in aede Corporis Christi, absque ulla funeris pompa tumultatum est.

Tanti sceleris indignitatem haec subsecuta sunt mala. Ingentia populorum omnium Hungariae in regem, ac in illos, quorum consiliis talia facere ipse ausus est odia. Amici Joannis Corvini, quorum imperio multa castella et oppida munitissima parebant, a rege defecere; a quibus ubicunque fieri potuit permulta Hungariae loca direpta igni ferroque populata sunt. Michael Zilagius Ladislai Mathiaeque avunculus, vir domi potens ac militari virtute insignis, coactis undecunque potuit copiis totam eam regionem quae Transsylvania dicitur, suae ditionis fecit. Rex ipse timens, ne Varadiensis episcopus Strigoniensisque archiepiscopus atque alii complures e regni optimatibus qui fuerant Joanni Corvino amicitia coniuncti, a se deficerent, in carcerem ipsos coniecit. Ceterum cum paucis post diebus illi a suis adiuti profugissent, metuens rex ne quid hostile in ultionem illatae iniuriae illi molirentur, fretus Germanorum quorundam auxiliis, relicta Buda Viennam quae urbs in Austria est, parens imperio Frederici imperatoris Romanorum, profectus est. Mathiam autem carcere eductum ad eandem urbem duci voluit,



ipsumque in arce regia iussit mancipari carceri, custodisque quanta fieri potuit diligentia. Fama tunc in Hungaria tota percrebruit regem eo fuisse animo, ut Mathiam sicut et Ladislaum decreverit interficere. Id nihilominus Budae eo noluisse ipsum efficere, quod fuerit veritus ne qua in Hungaria cooriretur seditio periculosior.

Dum ergo Viennae agens versat animo exsequi quod cogitaverat; nova occurrentia negotia ipsum compulere, ut intermissis omnibus quaecunque esset acturus, in Bohemiam quam primum proficisceretur. Ita impedita est periuri regis de Mathiae morte prava et iniqua voluntas, non plane humano, sed divino consilio; propterea quod ad regiae maiestatis culmen ipsum fata servaverant. Haud multo vero, postquam petivit Bohemiam, Pragae, quae civitas est totius gentis ac regni caput, diem suum obiit, veneno, uti plerique credidere, necatus anno salutis quinquagesimo octavo supra millesimum et quadringentesimum,<sup>1)</sup> aetatis suae anno undevicesimo; ex quo vero tempore regnare coeperat in Hungaria anno quarto. Visus profecto est immortalis Deus fuisse ultus iniuriam, qua fuerant a rege lacessiti Joannis Corvini filii: cum eadem sequentis anni die vita ille excesserit, qua iureiurando promiserat se fratrum loco ipsos habiturum.

## Index XXX.

Mortis regis fama vulgata quamprimum illi quorum curare hoc intererat decernunt, ut de more in agro Pestinensi ageretur optimatum conventus, quo et universi regni res componerentur, et rex pro veteri Hungarorum consuetudine eligeretur. Divino id consilio beataeque Mariae Virginis precibus, cuius patrocinio res Hungaricas beatus Ladislaus rex olim commiserat, factum haud dubie fuit.

<sup>1)</sup> anno 1457. Vide supra observationem nostram.



Animos enim amicorum Joannis Corvini divertit ut longe meliora cogitarent. Decreverant namque iam arma sumere in illos omnes quorum iniquis suggestionibus illius filii affecti fuerant indignis, quas explicuimus iniuriis. Constituto itaque tempore ad decretum locum Michael Zilagius, qui ut ante dictum est Ladislai Mathiaequae erat avunculus, una cum Elizabetha Joannis Corvini olim coniuge, magna armatorum manu stipatus venit. Comites eis se praebuere complures generis nobilitate atque auctoritate praestantes viri, quorum erat non contemptui habenda potentia, fuerantque Joanni singulari iuncti benevolentia. Convenerunt et eodem Ladislaus Palatinus et ceteri quorum consiliis illius filii mala quorum iam meminimus, passi sunt. Dicto die quo habenda erat de eligendo rege mentio, cum nonnulli tunc proposuissent ac expressissent nomina eorum, quos censebant ad regiam dignitatem idoneos; ubi est ventum ad Michaelem, qui exprimeret quod sentiret:

„Ego inquit non paucis dicam quod sentio; pace tamen omnium vestrum loquar; cumque utilia rei nostrae publicae sim allaturus in medium, oro ut omni perturbatione animi sublata, quae dixerō audiatis. Maxime omnium, et eorum qui propositi sunt, et qui hoc loco proponentur, idoneum ad regnum arbitror Mathiam Joannis Corvini filium. Id vobis viri prudentissimi, et quidem iure optimo svadeo. Primum propter eius egregiam indolem, deinde ob maiorum suorum claritudinem, quae ne altius ac longius repetam vetera, plerisque vestrum est absque ulla ambiguitate notissima. Postea propter corporis omnifariam dexteritatem animique magnitudinem, ac morum miram et quae est supra adolescentis aetatem elegantiam. Postremo propter parentis eius eminentissimi bello ducis merita, qui regnum hoc nostrum; id est patriam nostram amplissimam; nos omnes, liberos ceterosque posteros nostros Dei praeterea et sanctorum eius templa, ipsamque religionem christianam a Turcarum invasione, sua per omnia futura secula commendanda virtute. servavit. Nisi enim



ipse suis armis tam truculentis et potentibus hostibus obstitisset, actum esset de regno, pro cuius deligendo rege ad hunc locum omnes convenimus. Nisi nobis Joannes tulisset opem, Turcarum hoc esset regnum, quod esse nostrum nunc affirmamus. Nisi Joannes se variis saepe exposuisset periculis, ut Turcarum ingentibus viribus iret obviam; ea impia et christianae fidei inimica natio totam Hungariam longe lateque possideret. Haud vobis ignota loquor, neque eadem latent exteris, quae sunt orbe toto nationes. Ergo quis unquam erit magis idoneus, quem evehamus ad tenendum regnum Hungariae, quam filius eius, per quem adversus Turcarum impetus saepe fuit adiuta defensa servata omnis Hungaria. Hoc efficite viri Hungari, ne Joanni liberatori patriae et videamini et sitis ingrati. Non ero equidem falsus vates, quantum possum assequi coniectura, propter eas virtutes quas Mathiae inesse dilligentissima animadverti indagine: a paternis virtutibus haudquaquam degenerabit. Quod si aetas quominus fiat quod svadeo, videatur fortasse impedimento, ne dubitate. Est quidem Mathias adolescens aetate, sed prudentia senex. Id ipse fateri possum qui experimento novi quanto qualive emineat ingenio, quanta praeterea qualive animi magnitudine praestet. Ceterum nequid dubitationis vestris haereat animis, eligite eum regem, et adhibeatis ei e vobis probos prudentesque viros, quorum consilio cuncta, dum licebit per aetatem, moderetur. Aliquot ex iis, qui ante me de eligendo rege disseruere, multa quidem in medium attulere probatu dignissima: eis nihilominus ipse reluctor, quod eligendum nobis regem e Germania vel Polonia aut etiam ex Bohemia censuere. Quid nobis cum Germanis et externis aliis nationibus? Scilicet ignoramus in quantam perniciem inciderit huius regni res publica, ob ineptam administrationem complurium, quos ad regendam Hungariam patres nostri ab aliena patria accersiverunt. Piget quae mala passi illi sunt commemorare; dies quippe me deficeret, si ea vellem



nunc non modo referre, sed etiam perstringere. Ad id unde parum discessi redeo. Si Mathiam vobis regem constitueritis non alienigenam, sed membrum e corpore regni vestri, sed fratrem sed filium sed veluti sanguine coniunctum, denique veluti unum e vobis, qui vos omnes ut concives et conterraneos incredibili complectetur benevolentia, regem habebitis. At vero si qui praeterea vestrum mihi repugnent, dubitantes videlicet ne si Mathiam regem vobis deligatis, velit ipse post adeptam regni coronam ulcisci vel sibi, vel Ladislao fratri illatam iniuriam: desinant hi dubitare. Efficiam ego ut omnis illorum iniuriarum memoria ex ipsius Mathiae atque ex suorum omnium corde in perpetuum deleatur. Ego ipseque et quicumque nobis coniuncti sunt, quavis necessitudine non solum iureiurando, sed alia etiam quacunque via excogitari fierique possit promitemus, nos omnia odia inimicitiasque deposituros nec unquam in posterum de vindicta cogituros.“

His a Michaele dictis mire persvasi omnes uno consensu Mathiam regem, quamquam erat absens elegerunt. Nec ante solutus est senatus, quam fieret, quod faciendum Michael de deponendis odiis inimicitiasque promiserat. Fuit ea electio non modo optimatibus sed plebi etiam acceptissima. Concelebrata igitur est omni gaudio animique laetitia et exultatione atque applausu, quibus celebrari decuit rem divino factam consilio. Dei inquam consilio ea electio facta est, propterea quod nullo iure successionis maiorum erat Mathias ad Hungariae regnum evehendus. Idecirco antequam ad eligendum regem Hungarorum magnates Pestum convenissent, nemo de eius ad regiam dignitatem exaltatione, verba vel minima fecerat. Deo itaque auctore, cum primum in Mathiae mentionem ventum est, tamquam delapsam coelo vocem audissent, universi nonnisi Mathiam se velle regem habere conclamaverunt. Inspiravit quippe omnibus, mentem atque animum immortalis Dei providentia, qui ante rerum conditionem Joan-



nis Corvini soboli, hoc est Mathiae ipsi Hungariae regnum destinaverat. Eam ob rem nullus mortalium potuit esse impedimento, quominus Mathias destinatam sibi divinitus regni coronam, unanimi totius hungarici senatus consensu adipisceretur.

## Index XXXI.

Dum ea gerebantur in Hungaria, Mathias captivus paene tenebatur apud Pragam, quae est totius Bohemiae metropolis a Georgio, cui gentis lingua erat cognomen-tum de Prodebrad. Pro cuius rei notitia pauca memo-randa sunt. Paucis ante diebus quam Vladislaus rex in-cideret in morbum, quo postea fuit exstinctus, per literas ad se ex Vienna accersivit Georgium ipsum propterea quod in ordinandis Bohemiae rebus expediret ut eius arbitrio uteretur. Ceterum non ante ea urbe excedat, quam in arce locet tale praesidium, quali opus sit cum ad ce-tera necessaria, tum praecipue ad asservandum carcere Mathiam, fidelem diligentemque custodiam. Bohemus is erat, qui omnis generis opibus nobilitateque sanguinis, et auctoritate cunctis suis contrerraneis antecellebat. Quibus ex rebus fiebat, ut regi esset incredibiliter carus et accep-tissimus, illiusque consilio maxime fideret. Accedebat, quod quo tempore per aetatem rex ipse nondum erat aptus ut res Bohemicas consilio regeret suo: ille adoles-centulum eum educavit quaeque attinuerunt ad regni curas, prudenter administravit. Cum autem non multo post quam profectus est in Bohemiam, rex contraxisset aegritudinem qua tandem de eius salute desperatum est: Georgius anulum extraxit e digito morientis, et quam-primum aliquot e fidissimis cum literis nomine regis scriptis misit, qui annuli imaginem ostenderent Viennensis arcis praefecto, illique iuberent, ut absque ulla temporis pro-telatione Mathiam mitteret ad se per eosdem, qui literas



detulerant nuntios. Hoc enim rex Vienna excedens praefecto arcisque custodibus dederat signum, ut nulli hominum de mittendo ad se Mathia haberent fidem, nisi illis qui demonstrarent literas sigillo obsignatas suo, cuius imaginis similitudinem illis reliquerat. Fecit id Georgius, quod sperabat se vim auri ingentem, pro Mathiae liberatione consecuturum. Quippe constanti ferebatur tunc fama, Elizabetham Mathiae matrem multum sibi auri argentique et ceterarum pretiosarum rerum thesauri conguessisse. Quocirca putabat illam, cui nihil erat filio pretiosius multum auri persoluturam, ut Mathias libertate donaretur.

Inter haec exstincto Ladislao rege ipse Georgius Bohemorum rex creatur. Mathias vero in Pragensi arce, ab ipso quidem liber carcere, sed adhibitis qui ipsum custodirent militibus detinebatur. Interiectis deinde paucis diebus nuntiatur Georgio Mathiam Hungariae regem electum; nihilque restare aliud, nisi ut detur opera, qua indigna illa captivitate eripiatur. Ea re cognita Georgius mirum in modum obstupuit. Ad se igitur accersito Mathia coepit primum illi gratulari de tam insperato fortunae beneficio; deinde multis usus est adhortationibus, quibus induxit illius animum, ut eius filiam duceret uxorem. Postremo venit ad tractatus, ut videlicet gratitudinis causa ob libertatem qua esset donandus efficeret, ut ab Elizabetha sua matre aliquid praemii assequeretur, ne tam ingentis accepti beneficii mater ac filius viderentur immemores. Egit primum illi Mathias et pro laeto nuntio et pro gratulatione gratias; mox respondens sibi propositis rebus, dixit se et libenter assentire coniugio, et daturum operam, ut tam ipse quam mater, utantur gratorum hominum officio. Voti compos Georgius illum abire permisit, adhibitis eidem compluribus Bohemiae optimatibus, qui illum quo decuit honore comitarentur. Deductus est Mathias ab illis usque Strazniczemum, quod oppidum est in regione quadam, quae portio est regni Hungariae, Moraviaque vocitatur ab incolis. Eo convenerat universa Hun-



garorum nobilitas, quae novellum regem venientem opperiebatur.

Exceptus est ab illis summa laetitia; inde suorum ingenti stipatus caterva Budam concessit. Ad eam urbem non modo permulti reguli, sed omnes etiam civitatum oratores concesserant, ut regi, et ipsi ut liceret, congratularentur. Suo igitur quisque officio usus honorem ei ac reverentiam magno cum applausu exhibuere. Ceterum cum per aetatem nondum haberet Mathias vel usum vel experientiam rerum, (quintum decimum tunc annum agebat aetatis) quibus ex se amplissimi regni rem publicam curare crederetur; placuit procerum senatui adhibere ei quousque adolesceret Michaellem Zilagium, eius avunculum, cuius ductu atque auspiciis regnum Mathias suum administraret. At vero ipse, quamvis avunculi prudentiam et auctoritatem plurimi faceret, illumque veluti divinum quoddam numen veneraretur; innata tamen quadam sui excellentis ingenii dexteritate, multa agebat ex se, quae digna plane erant prudentia aetatis grandioris. Accipiendae more hungarorum regum coronae solennitas, eo aliquanto temporis intervallo dilata est, quod ipsam apud se tunc tenebat Fredericus Romanorum, ut ante dictum est, imperator. Qua non sine ingenti difficultate recuperata sexto post electionem anno<sup>1)</sup> coronationis solennitas eis quibus decuit laetitia et applausu seculari ecclesiasticisque cerimoniis Albae celebrata est, anno ab incarnato filio Dei sexagesimo quarto supra millesimum et quadringentesimum, die quo tunc agebatur sacrosancta Domini nostri Jesu Christi Coenae memoria.

---

<sup>1)</sup> Editio prima mensem habet. Sic supra Indice XXIX annus ponitur pro mense inter mortem Joannis et adventum regis Ladislai.



## Index XXXII.

Paucis post diebus quieti datis, coepit Mathias suas omnes cogitationes ad ea convertere, quibus omnes cum praeteritarum discordiarum tum futurorum dissidiorum causae ex universo regno tollerentur. Quare comparatis undique copiis cogit exercitum, qui tantus fuit, ut esset securitati subiectis, et adversantibus formidini. Praesidia deinde valida collocat in locis, quibus maior est visa necessitas; in regni praesertim finibus: ut si quid hostile ingrueret, obviam illi iretur facilius. Curat praeterea, ut si quid in Hungaria turbatum esset, propter et regni mutationem et novitatem rerum, reducatur in tranquillitatem.

Ita ordinatis Hungariae rebus nuntiatur Mathiae Mahammetum Turcarum imperatorem cum magno bellicarum omnis generis rerum apparatu venisse in Bosnam, quae regio portio est quaedam montanae Dalmatiae, cuius habitatores colunt Christum, iuxta orientalis ecclesiae ritum. Nec multo post fama ad Mathiae pervenit aures illum circumsedisse Jaizzam, quod castellum in eo regno est loci natura, et muri cum altitudine tum latitudine munitissimum. Cumque esset ipsius Mathiae ditionis, nihil ulterius protelandum ipse ratus, ita ut erat valide instructus, copias ducit in Bosnam adversus Mahammetum, belli pugnaeque fortunam tentaturus. Eius rei, ut ille per exploratores certior est factus, sentiens praeterea Mathiae exercitum esse et iuventute florentem, et armis roboreque militum, ac tormentorum vi magna validissimum: ratus non esse tutum cum instructissimo hoste configere, perterritus castra movere, suosque omnes e loco discedere, eoque unde venerant redire iussit. Qua re effectum est, ut ob repentinam fugam compulsus sit, ibidem bellicas omnes machinas aeneaque tormenta, in hostis potestate relinquere. Pro cuius victoriae felici eventu Ma-



tias egit immortalī Deo gratias, coepitque inde sperare fortunam divino favore ceteris in posterum gerendis a se rebus semper aspiraturam.

## Index XXXIII.

Anno qui insecutus est Bohemum quemdam Sullam nomine, qui coacta magna praedonum manu res novas moliri parabat in Hungaria, in oppido cuius nomen est Coztolian, circumsessum ac debellatum cepit, deque eo atque illis qui cum eo capti sunt sumsit supplicium. Posthac vertit in fugam exercitum Transyluanorum. Hi populi quamquam tenent portionem quamdam magnae Germaniae, ideoque magna ex parte lingua loquuntur Germanorum; Hungarorum tamen regibus, a multis iam annis antea paruerant. Ceterum in regni Mathiae initiis, constituto sibi principe qui illis praeset, rebellavere. Adnisi autem sunt ante omnia impedire aditus regionis, ne videlicet in ipsam Transyluaniam copiae regiae ingrederentur; non enim facilis est ad ipsam accessus. Silvae namque multis in locis densissimae, in aliis autem asperae alpes reddunt regionem omni ex parte aditu difficilissimam. At vero urgente rege hungarum copiae vi strenue facta irrumpunt, viaque patefacta Transyluanis invitis, multisque illorum interfectis penetrant circumquaque loca omnia, tandemque in eam provinciam perveniunt. Illi cum primum regem equo armisque insignem iam introgressum conspiciunt, veluti viso fulmine vertuntur in fugam. Insecuti regii illos profligant; multi illorum vulnerati, multique interfecti. Qui vero in urbibus sese continuerant, audita victoria, nihil morati deditionem faciunt. Plebibus venia a rege data; illis autem, qui populis persuaserant defectionem, parum profuit suae poenituisse infidelitatis; fuerunt enim suis et privati honoribus, et spoliati dominatibus. Est Transyluania ferax omnis generis



frugum, vini laudatissimi, multorum generum fructuum optimorum, qualia sunt pruna quae vocant damascena, mala cerasa et pira, quorum pleraque eximiae sunt magnitudinis. Fert linum crocum equos, et abunde, et optimos. Abundat et aliis, et quidem multiplicis generis pecoribus, propter et coeli clementiam, et pascua laetissima. Fodinae in ea sunt auri argenti aeris ferri salis plumbi, lapidicinae multae, albi praesertim rubrique marmoris. Gignit alabastrum cristallumque in primis laudatum. Hominum ingenia magna excellentiaque, ad ea praesertim aptissima maximeque versatilia, quae manu fiunt. Pleraque hominum corpora proceras sunt statura. Multae in ea pulcherrimae urbes. Brevibus multa complectar, quidquid est in regno Hungariae laude dignum atque excellens, quod attingat ad nobiles, et honorata appellatione opifices, atque ad eas artes, quas appellant mechanicas: id totum apud Transylvanos habetur. Testificari id equidem possum, et ceteri qui viderunt, videntesque mire obstupuerunt.

## Index XXXIV.

Rebellaverat et Moldavia, cuius regionis incolae hungarorum quoque regum antea parebant imperio. Quo igitur ipsam recuperaret, instructo exercitu transmittit alpes trans quas sita est ea regio, quae et ipsa est quaedam magnae Germaniae portio. Parvi momenti fuit, ut eam redigeret in potestatem. Quod ubi est factum, duxit legiones ad oppidum Bania nomine, in cuius agro castra posuit. Ipse vero cum magna procerum ac militum parte ad oppidum se contulit, ubi aliquot dies quieti se daturum decreverat. Dominabatur tunc universae provinciae quidam singularis audaciae homo, cui Stephano erat nomen. Is coacta e suis popularibus magna armatorum multitudine, dedit operam ut de secunda noctis vigilia per amicos multis in locis



oppidi subiicerentur incendia, quibus rex et regii omnes somno vinoque sepulti concremarentur: ipse vero interim regia castra adoriretur, victoriamque adeptus liber ab hungarorum regum imperio fieret. Ceterum cum primum fulgere crepitareque coeperunt incendia, somno se rex repente excussit, animadversaque proditione, tubarum clangore, suos e stratis subito correptos arma in proditorem iussit capere, itidem et in castris factum. Regii itaque iam patefactis insidiis magno animo ruunt in Stephanum, et in eos qui illius iussu scelus admiserant proditionis. Et cum incendiis quibus conflagrabat oppidum, tum praecipue lunae adiuti lumine multos adversariorum occidunt, nec segniter illi obstiterunt. Quatuor ferme horas ancipiti Marte pugnatum; ad extremum a rege cohortati Hungari remque incredibili strenuitate gerentes Stephanum cum suis, qui fuerant ex strage relictis, ad fugam compellunt. Multi nihilominus ex illis capti, capta et arma Signa ipsa in gloriosae victoriae memoriam rex Budam reversus in basilica beatae Mariae Virginis locavit. Interiectis deinde paucis annis, cum praeclara tot egregiorum facinorum Mathiae fama tota Europa vulgaretur, a pontifice maximo sacrisque sanctae Romanae ecclesiae patribus cohortatus, ac tandem persuasus, piam suscepit adversus Hussitas expeditionem. Quo autem maiore animo bellum tale susciperet, hanc adiecit mercedem pontifex: quidquid Bohemiae, etiam si totum caperet regnum, suae esset ditionis. Sunt Hussitae Bohemi illi, qui sectantur Joannis Vicleffi damnatissimam haeresim, de qua memoratum mihi satis fuit supra, libro huius operis XX-imo. Contra eos haereticos septem annos gessit bellum fortissime. Saepe cum illis certavit, ac semper Dei adiutus auxilio, fuit victoriam assecutus. Eo bello suo imperio parere coegit eam regionem quam nominant Moraviam, eamque quam vocant Silesiam, et eam quae dicitur Lusatia: quae non sunt contemnendae bohemicus regni portiones. Ideirco gloria virtutis eius adducti Bohemi catholici, Georgio illorum rege haeretico extincto



regem sibi ipsum elegerunt. Indeque ipsi Mathiae gloriae titulis accessit, ut non modo Hungarorum et dicatur et sit rex, verum etiam Bohemorum.

## Index XXXV.

Ceterum dum animum intendit ad res novi regni ordinandas, solita rerum humanarum fortunae mobilitas perturbare omnia coepit, magnaue ex parte obfuit consilio. Nonnulli namque ex Hungariae prioribus, prosperis Mathiae invidentes successibus, res moliti sunt novas, quae huiusmodi fuere: ut dum ipse moraretur in Bohemia, regnum ei adimeretur Hungariae. Talium consiliorum principes fuere Joannes Strigoniensis archiepiscopus, et Joannes episcopus Quinqueecclesiensis. Erant hi natione Dalmatae humillimo loco nati, de quibus erat Mathias bene meritus: quippe qui fuerat auctor, ut illi ad eas praesulatum dignitates eveherentur. Regiam igitur beneficentiam, nonnisi maxima ingratitude compensavere. Hi Poloniae regis filium Casimirum nomine cum multis Polonorum legionibus in Hungariam intromiserunt, ac ante omnia Nitriensem arcem, loci natura armisque munitissimam illius potestati tradiderunt. Id ubi rescivit Mathias, relicta Bohemia advolat in Hungariam, ipsumque Casimirum manu valida obsidet. Quem oppugnando eo ad extremum perduxit, ut desperans ille locum se posse tueri ulterius nocte inde egressus profugerit. Ea re cognita Mathias Polonorum copias, et eas quae tutatae fuerant arcem, et alias omnes, quae alia complura per Hungariae fines occupaverant loca adortus est, deque ea gente cladem edidit miserabilem. Ex proceribus qui capti sunt, multos misit ad urbem Budam: quo tam celebrem adeptum se fuisse victoriam illorum captivitate suis ostenderet popularibus. Copiarum postea magnam partem misit, qui Poloniam omnibus quibus fieri posset modis popularentur.



At vero cum ei esset nuntiatum Casimirum Polonorum regem in regione quam appellant Silesiam parare multa armatorum millia in suorum Hungarorum exitium; alterum cogit exercitum, Silesiamque ingressus quam celerime petit Vratislaviam, nec procul ab ea urbe castra metatur. Quod ut primum accepit Polonus, dat operam ut suus augeatur exercitus, accersitis cunctis qui valere poterant armis, ex subiectis suae ditioni gentibus, non modo Polonis, sed Ruthenis Lituanisque et Tartaris. Omnibus igitur ad rem gerendam comparatis adversus Mathiam Vratislaviam versus contendit. Ad cuius urbis agrum ubi pervenit, composito agmine tantum confecit itineris, quantum fuit ei visum, non plus mille passuum intervalli, inter suum et Mathiae exercitum interesse. Itaque e conspectu castrorum illius sua castra ipse locavit. Magna quidem fuit hominis huius audacia; sed nequaquam rem vel gessit vel confecit eo, quo coepit animo. Obfuit enim ei hoc maxime, quod quamquam eius exercitus abundabat maiore armatorum multitudine; Hungari tamen erant cum animo tum virtute longe superiores. Quod ut intellexit Polonus, animo fractus non ausus est cum Hungaro conserere manus. Id animadvertens Mathias curam dat compluribus e sui exercitus copiarum ducibus, ut a diversis partibus hostilia castra adorianentur. Ea iussa ubi illi sunt executi, Polonos nihil tale suspicantes, ingens invasit formido. Multi namque ex illis, qui egressi castris vim repellere voluerunt, caesi sunt; alii acceptis vulneribus confugerunt ad castra; innumeri fere capti. Ex quorum numero singulos, qui obscuro erant et generis et nominis, iussit Mathias signari in facie notabili vulnere, indeque donari libertate, ut reversi illi ad suos hungarum gentis in Polonos iras testificarentur. Constituerant Poloni duobus in locis castra, fossa valloque ac fortium virorum praesidio; hoc consilio, ut in illis primum exciperentur commeatus, qui ex amicis comportabantur civitatibus; deinde vero militum adhibita custodia ad regia castra tute conveherentur.



Prudentum plane virorum id fuisset consilium, si diligentius ab ipsis esset provisum, quale consilium, quantaque essent vires hostis, adversus quem ceperant armá. Ipse namque Mathias excellenti illa, qua praeditus erat ingenii vi, illorum solertiam irritam fecit. Nactus enim tempus ad hoc idoneum, bina illa castra adortus est, eaque diripuit ac delevit incendiis. Utque hostem maiore concuteret terrore, misit Stephanum cognomento de Zapolia totius exercitus sui ducem virum bellica virtute insignem, cum quadam parte copiarum, quae tendens in Poloniam omnem regionem popularetur, et quidquid ei fieret obviam igni ferroque absumeret. Ea re effectum est ut adductus Polonus rex in summa rerum desperatione, pacem peteret quam nequaquam abnuit Mathias. Ventum igitur ad colloquium. Post multa autem ultro citroque dicta, tandem inter utrumque regem pax benigne atque honeste composita in hanc perseverat diem. Habuit Mathias Polonum, suosque omnes adeo liberaliter, ut nihil supra dici facile posset. Mirifice postea regem ipsum donatum a se Mathias dimisit. Ita summo ille affectus stupore in suum se regnum recepit.

## Index XXXVI.

Post haec reversus Mathias ab ea expeditione obsedit atque expugnavit castellum illud, fama aevo nostro, ob rem apud ipsum fortiter gestam inclytum, cui nomen est Sabacz. Condiderant illud Turcae ad ripam Savi fluvii, ut eis esset tuta quaedam sedes locusque aptus ad invadendam Hungariam; si quando res exigeret ut illorum imperator indicturus esset Hungaris bellum. Struxerant illud ex materia, circumdederantque ligneo muro, quem crebrae turres magno miroque erectae artificio reddiderant tum visu pulcherrimum, tum expugnatum difficillimum. Non deerant defensores, non omnis generis arma, non fossa non



vallum; breviter, non cetera omnia quibus iudicari potuisset, esse id castellum humanis vel viribus vel ingeniis inexpugnabile. At Mathias cui non deerant vires vel animus, neque oppugnandarum urbium experientia, sed neque solertia, qua uti plerumque solent eminentissimi bello duces: invenit tandem viam, qua castellum illud omnifariam munitissimum in suam redegerit ditionem.

Postremo lacessitus iniuria suscepti bellum adversus Fredericum tertium Romanorum imperatorem, de quo supra mihi mentio habita est. Multa inter eos commissa proelia, sed Mathiam adeo aspexit fortuna, ut datum ei sit, ut semper fuerit victoriam assecutus. Ad ultimum Fredericus, vel quod esset hosti impar viribus, vel quod esset affectus desidia, propter quam taederet ipsum reluctari adversario; sive ut plerique affirmant adductus avaritiae vitio, cum nolisset effundere auri thesauros, quos in omni sua vita fertur ingentes congestisse; bello abstinuit, et tanquam fugere visus, quae sua suorumque fuerunt maiorum, hosti capienda reliquit. Atque ita Mathias ducatum pene totum Austriae, quam regionem veteres appellavere Noricum, Stiriamque atque Carinthiam, opulentissimas magnae Germaniae portiones, per tot retro duces Austriae possessas ditioni subegit suae. Restiterunt quidem Mathiae viribus Austrienses, sui principis expectantes opem: sed ille quod coeperat persecutus, vi tandem ipsos compulit ut dederentur; victis autem data a rege clementissimo venia.

Multae sunt in Austria perpulerae nobilesque civitates, multaque oppida atque castella miris aedificiis insignia: sed urbs Vienna cui nomen est inditum a parvo fluviolo qui ipsam praeterlabitur; et ea quae dicitur Nova civitas, cunctis antecellunt pulcritudine, amoenitate situs, nobilitate ingenioque habitantium, mira structura ornamentisque sacrarum aedium, copia divitiarum, denique aliarum multarum rerum quarum indiget mortalium usus, mira abundantia. De utraque harum urbium meminit Aeneas Silvius in epistolis. Ille inquam Aeneas, qui posteaquam



in Germania apud imperatorem, de quo mihi est hoc loco mentio multum suae vitae consumsit, ad summum Romanae ecclesiae praesulatum euectus est. Novam namque Civitatem hortos vocat Hesperidum, paradisumque deliciarum: propterea, quod ibi omne pomi genus gignitur suapte natura, ibique plurimae aquarum scaturigines prataque viridantia, quae verno tempore florum mira varietate veluti ridere videntur. Haec in loci solique laudem vir doctissimus scripsit. Sed urbis pulcritudinem, quae plane magna est praetermisit. Longe plura dixit de urbe Vienna, de qua neque ea quae merito sunt vituperanda subticuit. At vero ego ex sua illa tam egregia urbis descriptione ea tantum quae sunt laudis, non quae sunt vituperationis, attingam. Sed et ipse adieci suae descriptioni pauca quaedam, quae omittenda non censi.

Vienna inquit, muri ambitu duorum millium passuum cingitur, sed habet suburbia maxima. Murum ambit fossa, ac vallum aggerque peraltus. Murus ipse sublimis et amplus, debitisque intervallis habens turres et expugnacula, veluti ad certamen parata. Ab oriente eam praeterfluit Danubius, qui urbis agrum suo decursu undique reddit amoenissimum. Civium aedes amplae sunt et sublimes, quibus tum intus tum extra suos non deest decor. Parietum domorum firma ac solida artificiosaque structura. Quippe cum unaquaeque pene aptas habeat fornices et aulas pro domorum magnitudine latas. Habet unaquaeque sua aestuaria, quas vocitant stuphas. Hyemis enim rigorem et asperitatem eo modo mitigant Germani ac ceterae gentes, quae longe lateque tenent regiones glaciali polo propinquiores. Fenestrae domorum vitreae sunt, hostia vero ferrea. Habitantium multa et munda supellex. Equorum capacia stabula. Hoc unum est dedecori urbi, quod pleraeque domus non fictili, sed lignea tegula operiuntur. Ingressus privati cuiuspiam domum, in aedem alicuius principis te introvisse putabis. Nobilium privatorumque domus liberae sunt, neque civitatis magistratus in eis ali-



quid iuris habent. Cellas vinarias sub aedium aedificiis construunt, quae sunt adeo profundae et spatiosae, ut non minus sub terram earum structura tendatur. Viae urbis lapide adeo duro stratae, ut neque plaustorum rotis facile conterantur. Deo ac sanctis eius dicata templa ampla sunt ac splendida, secto erecta lapide vitreisque et varii coloris longis latisque fenestris pellucida, et columnarum mira arte laboratarum ordinibus, altissimis praeterea, mireque artificiose testudinatis tectorum culminibus admiranda. Sanctorum plurimae pretiosaeque reliquiae argento et auro gemmisque vestitae. Templorum mirus ac multus ornatus, divesque supellex. Sacerdotes pluribus bonis abundant. Qui clero praeest apud S. Stephanum, soli Romano pontifici subest. Civitas Pataviensis est dioecesis, sed filia est matre maior. Est et Viennae monasterium, in quo meretrices ad Deum conversae recipiuntur, quae canonicis horis hymnos Deo teutonica lingua decantant. Earum si qua deprehensa fuerit redire ad peccatum, in Danubium praecipitatur. Agunt igitur in eo coenobio pudicam sanctamque vitam; ita ut rarus de illis sermo malus audiatur. Est et hic schola nobilis liberalium artium, theologiae quoque ac iuris pontificii, nova tamen et ab Urbano VI-o Romano pontifice concessa. Ingens scholasticorum numerus eo confluit ex Hungaria atque ex Almaniae partibus superioribus. Civitatis populus, quinquaginta millium communicantium creditur. Consulatus decem et octo virorum eligitur, tum iudex, qui iuri reddendo praeest; deinde magister civium, qui curam gerit civitatis hos principes assumit, quos in civitate fideiiores arbitratur, eosque adigit ad iusiurandum. Magistratus nulli alii sunt, nisi qui vini exigunt vectigal; ad ipsos autem omnia referuntur; quorum potestas annua est. Incredibile videri potest quaenam et quot qualiaque e rebus humano victui pertinentibus singulis diebus Viennam comportantur. Ovorum atque cancrorum multae quaedrigae. Panis diversae formae diversaeque materiae ac magnitudinis. Carnes pisces volatilia sine numero afferuntur.



Ubi advesperascit nihil venale ex his invenies. Vindemia his ad quadragesimum diem protenditur. Singulis diebus trecenti ferme currus vino onerati bis terve inferuntur. Supra mille et ducentos equos in singulos etiam dies ad opus vindemiarum Viennenses exercent. Ita dictu est incredibile quanta vini copia in urbem inducatur; quod intra annum vel Vienna bibitur, vel ad externos per Danubium contra cursum aquae magno labore transmittitur. Hactenus de Vienna. Ad nostram redeamus narrationem.

## Index XXXVII.

Postulat locus ut ostendantur causae quibus adductus Mathias et gesserit adversus Fredericum bella de quibus ante dictum est, et Austriam in suam potestatem redegerit. Praetermitto illam qua contractum est aliquid alterius in alterum odii, cum negatam hungarorum regum coronam armis, ut supra ostendi a Mathia recuperari oportuit. An autem Fredericus eam detinuerit, quod ob invidiam aegre tulisset Mathiam tunc adolescentulum Hungariae fuisse creatum regem, ut multi crediderunt, aut aliis de causis, incertum ego habeo. Hoc nihilominus satis constat, post restitutam coronam alterum cum altero redivisse in gratiam. Aliae igitur discordiarum causae redendae sunt.

Georgius ille Bohemorum rex, quem Pius olim pontifex maximus iudicio condemnavit anathematis propterea, quod declinaverat in haeresim Hussitarum: gravi admodum bello Fredericum ipsum, qui nihil tale sibi metuebat, lacessivit. Misit enim filium Victorinum suum cum numeroso exercitu in Austriam; cuius non exiguam partem, et quidem non sine variis ac miserabilibus vastationibus suis occupavit. Urbem autem Viennam, ubi tunc Fredericus agebat circumsegit, ratus eam haud facile capi, a se posse, cum esset muro et armis validoque praesidio



munitissima Ille ita obsessus scribit ad Mathiam supplex eum orans ut in tanto rerum discrimine opportuna ei ferat auxilia, contra praesertim hostem, qui Hussitarum impio infectus dogmate catholicae fidei veritatique adversaretur. Annuit Mathias, nec diu moratus sua ipsius impensa coactis instructisque copiis, quae possent Bohemo haud dubie opponi, Viennam versus contendit. Ad cuius urbis agrum ubi pervenit, primum composuit agmen, deinde processit ad loca hostis castris ad mille passus propinqua; vel sua castra idoneo in loco positurus, vel se laturus primo impetu in Bohemos, rem videlicet gesturus, si id necessitas committendi certaminis exigeret. Mathiae adventus adeo magnum Bohemis incussit terrorem, ut non solum ei adventanti eorumque propinquanti castris nihil obstiterint; sed soluta obsidione discesserint. Ita obsessus Caesar ope virtuteque Mathiae a Bohemorum invasione vitaeque periculo, ac maximo decoris rerumque suarum detrimento ereptus est. Nec tamen destitit rex, quominus excedentes hostes magno animo fuerit tantisper insecutus, dum pervenerunt ad loca Bohemiae finibus proxima. Illic cum sua castra Victorinus posuisset, haud veritus est rex, non procul ab illo sua castra locare. Decrevit enim non prius inde abire, quam Bohemus vel in suos se reciperet fines, vel si perstare illic mallet suis ipse deductis copiis, collatis signis proelii fortunam tentaret. Haud ignarus Victorinus qualis esset regis animus, sibi timuit, propterea quod satis animadvertibat se viribus esse inferiorem. Nihil igitur sibi potius est visum, quam mittere ad imperatorem nuntios, qui cum eo de pace agerent. Ubi itaque inter nuntios et imperatorem multa, ea praesertim, quae in rem fuere ultro citroque dicta sunt, utque leges concordiae utrisque placuere: pax inter ipsos Mathia inconsulto penitusque inscio composita est. Id ubi est factum absque ulla mora auxiliares copias, quas Mathiae exercitui coniunxerat imperator revocavit. Id ipsum eo fecisse constanti tunc fama percrebuit, quod suis revocatis copiis



sibi Fredericus persvadebat Mathiam quasi nihil tulisset opis, in suum regnum inglorium rediturum. Ita Frederici seu pravitate vel ingratitude aut animi levitate factum est, ut rex tam ingens bellum frustra suscepisset, utque omnis eius labor diligentia cura impensa, quae gravissima fuit irrita fieret.

Quodque fuit longe iniquius, cum primum Mathias praeter spem illius divina fretus ope domum rediit, ille suscepti beneficii immemor saevissimum se hostem gessit; quippe qui in Hungariam missis frequenter legionibus multa illic loca invasit, diripuit ferroque ac crebris vastavit incendiis. Nec satis ea illi fuere; suis suggestionibus effectum est, ut a Casimiro Poloniae rege gravibus iniuriis belloque perdifficili lacesseretur: quamvis antea magna fuerint coniuncti benevolentia. Effecit enim, ut a Bohemis Hussitarum dogma sectantibus mortuo Georgio Casimiri natu maior filius Casimirus et ipse nominatus<sup>1)</sup> Bohemiae rex eligeretur. Quae res eo fuit iniqua, et idcirco Mathiae perquam molesta, quod ante fuerat ipse iam ad id regnum evector, non modo electione catholicorum Bohemorum, sed decreto quoque Pauli Romani pontificis, ut ante dictum est. Ipse praeterea Caesar eam Bohemorum electionem confirmaverat publicis monumentis literarum, ac tradiderat ei regni possessionem, quam vulgo vocitant investituram, cuius tradendae Caesaris consuevit esse potestatis. Ea monumenta firmaverat Fredericus omni vigore ac robore iuris etiam iurandi religione. Compulsus igitur fuit Mathias iura quaesiti sibi regni tueri, obviamque ire Poloni conatibus, qui regnum alienum invasit. De armis autem quae inter se contulere, quoque modo et bellum finitum sit, satis meminimus supra, quantum visus est locus exigere.

Aliae deinde bellorum causae occurrerunt. Aliquot

---

<sup>1)</sup> Memoriae lapsu pro Vladislao; qui post Mathiam rex ab Hungaris electus est.



interiectis mensibus imperator, nulla nova a Mathia provocatus iniuria permisit Germanorum quasdam copias fines Hungarorum infestis ingredi armis; qui multas facientes excursiones, multa loca quorum incolae nihil hostile metuebant, longe lateque populati sunt. His malis commotus Mathias, primum misit et ipse suas copias, quae Germanorum comprimerent audaciam, omnique conatu efficerent, ut illi e regni sui finibus pellerentur. Id ubi factum est, non plane sine Germanorum miserabili clade, misit Mathias legatos, qui adhortarentur imperatorem ut ulteriore abstineret iniuria; satis superque se tolerasse, fuisse toties ab illo se lacessitum. Tolerantiae causam fuisse, quod illum semper habuisset parentis loco; at vero si decreverit perstare in sententia, ut armis velit secum contendere, nihil plus agat, quam expectet potentissimum suorum Hungarorum exercitum, qui cunctas illatas sibi iniurias libens et forti animo ulciscatur. Cum vero neque semel, neque iterum missis legatis ac nuntiis Fredericus bello desisteret, Mathias cum universo instructoque exercitu movit ex Hungaria, ducitque Germaniam versus. Cuius ingressus fines coepit circumquaque excurrere, quidquidve occurrit locorum invadit diripit vastat incendit. Ex iis autem quae ex direptione habita sunt, militi multa concedit: ingentem enim omnis generis praedam congegit. Cum suis occurrit Fredericus legionibus. Quoties utriusque ducis copiae conseruere inter se manus, toties Mathias victor evasit. Inter belligerandum persaepe inter ipsos induciae factae; sed semel interumque ac tertio a Frederico violatae. Tanta eius inconstantiae causas non Hungarorum modo sed Germanorum etiam plerique tribuunt se-nectae, qua pene confectus est. Quamquam sunt non pauci qui affirmant ea, hisque similia non Frederici voluntate facta, sed consiliis quorundam pravorum hominum, quorum principes aiunt fuisse antistites illos ecclesiarum, quarum nomina supra expressimus. Factis tandem in ali-



quot menses induciis; quarum fide uterque cum suis copiis domum rediit.

Inter haec dum occuparetur Mathias gravi bello, quod gerebat adversus Turcas quorum ingens multitudo irruerat in Hungariam: nulla induciarum habita ratione, misit Fredericus legiones, quae ingressae Hungariam omnia infesta facerent, nec sine magna quaesita praeda domum reverterentur. Eam ob rem oportuit Mathiam desinere a bello iustissimo, atque utcunque fieri potuit cum Turcis ad honestas venire inducias, animumque ad rei suae defensionem convertere. Eodem anno, cum opus fuisset Mathiae procedere obviam Beatrici, destinatae sibi uxori, puellae formosissimae ac sapientissimae, Ferdinandi regis filiae, quam a patria promiscui sexus nobilissimi generis homines comitabantur, essetque Mathias ipse obviandae honorandaeve novae coniugis variis implicitus curis; Frederici copiae ipso iubente hostiliter ingressae Hungariam, omnia turbavere. Et nisi Mathias per praefectos praedictae illorum audaciae potenter prudenterque restitisset, illosque vertisset in fugam; parum abfuisset, quin foedassent omnem illam nuptiarum celebritatem luctuque omnia complessent.

Post paucos annos cum non esset ambiguum ob tantorum bellorum furias regnorum utriusque magnam subsecuturam perniciem, per communes amicos authore Paulo pontifice maximo, qui ad Fredericum misit Forliviensem episcopum, ad Mathiam autem Gabrielem Agriensem Cardinalem, pax inter ipsos composita est. Paci multae conditiones adiectae. Earum haec fuit praecipua: „Quando quidem Mathias propter tot accepta absque ulla iusta causa detrimenta, vim auri exhausit non facile aestimabilem; convenit inter eos, ut Mathiae a Frederico centum millia auri persolverentur. Duorum annorum tempus satisfactioni pecuniae constitutum est ita, ut anno qui instabat traderentur millia quinquaginta; sequenti alterum dimidium.“ Quae omnia firmata mandataque sunt, ut et



ea quorum supra memini monumentis literarum. Ei satisfactioni non Fredericus tantum se fecit obnoxium, verum etiam proceres et clariores civitates, quae illius parebant imperio. Adiectaque haec lex est: „Nisi imperator utatur debitoris officio, ipsi persolvunt. Quod si neque imperator neque ipsi iuxta monumenta satisfecerint; Mathias impune illius regna armis invadito.“ Ita composita pax per annum tantum perseveravit, propterea quod imperator primo persolvit uti promiserat, anno vero proximo neglexit. Postulat ius Mathias suum; recusat Fredericus suo uti officio, nec minus proceres civitatesque recusare. Instat Mathias Deum hominesque testatus invitum se suscepturum bellum. Ceterum ubi tandem animadvertisset sibi dari verba; nihil ulterius protelandum ratus, sumtis armis Austriam quae regno est Ungariae contermina invasit, belloque diuturno perdomuit, et hodie nemine reluctantante tranquillissime possidet.

Haec habui quae dicerem de causis bellorum, quae duo potentissimi christiani principes non sine summa multorum mortalium admiratione seculo nostro gessere.

#### APPENDIX IOANNIS SAMBVCI.

Quod autem pacatam Austriam tum Mathias tenuerit septennii foedere inter ipsum et Cesarem opera ducis Saxoniae Alberti fiebat; quam uterque libenter multis de causis acceptarat. Mathias praecipue, qui a Caesare Turcarum de producendo foedere sollicitabatur, quod iniuriis Friderici laccessitus antea non gravate pepigerat. Fridericus, quia de Maximiliano a Brugensibus capto vehementer sollicitus, quibusvis conditionibus cesserat. Itaque pacis inter eos leges, ad mortem usque Mathiae durarunt; nec ab illis discessum unquam fuit. Cur autem potissimum foedus renovarit cum Friderico, affinitatem quoque causam dicunt, quae iungi per filium Joannem et austriam quamdam debebat. Hinc viribus collatis in Venetos et alios, ut bellum moverent, nec coeptis absisterent, nisi cuncta imperio, quae fraude et artibus erepta essent sociis armis recuperassent.



Tandem se ad Huniadis vestigia, hoc est paterna rediturum, et una cum Friderico in Turcas exercitum conversurum: nec vita, nisi Constantinopoli sedem fixisset decessurum. Tam praeclarae illius fuere cogitationes si supervixisset. Verum anno 89 supra CCCC omnes cum domi exortos motus amanter composuisset, ac totius corporis lassitudine et podagra nimis affligeretur, Viennam se deportari iussit. Ubi sequenti anno ruinis passim quibusdam restitutis, misso etiam paulo ante in Silesiam contra quemdam seditiosum exercitu ex apoplexia moritur.

Sunt qui mortis causam fuisse Beatricem satis deformem velint. Quod haec cum negligi se videret, atque in Italos quiddam cum Friderico parari animadverteret, a quibusdam Italiae principibus corrupta, sitiendi ex adverso nuntio Mathiae ficus tostas, et eas veneno imbutas ante frigidae potum nimis blande exhibuerit devorandas. Quibus ille comestis quasi dolum sentiens Germanos et Ungaros exhortari atque orare non destiterit, suum filium ad regnum ut evocarent; periculosum aliunde accitorum esse imperium. Deinde Beatricem cum sua dote et muneribus expedirent; postremo turmas illas suas nigras, quae non tumultuario proelio, sed statario vincere consuessent, ne negligenter: quod nisi facerent, eversionem regni uti accidit subsequeretur. Haec ut aliquoties repetivisset, octavo a veneno exhibito die, hoc est 4. Aprilis illum ad regionem sanctorum commigrasse. Alii etiam, veru per nates dormienti immisso necatum a quibusdam suis aiunt; quod affirmare non ausim. Cadaver eius Albam regiam deductum, inque regum conditorio magnifice depositum est. Hic fuit decursus imperii, et felicissime sive domi sive militiae gestorum Mathiae per annos XXXVII.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Annos integros 32 tantum regnavit ab anno nempe 1458 usque annum 1490.



## Index XXXVIII.

Defuncto rege Matthia principes regni de alio sublegendo cogitationem suscipiunt, communicatisque varie inter se consiliis Joannem quemdam Matthiae filium illegitimo natum thoro proponunt; quod in eo virtutis avitae ac paternae simul procul dubio seminaria inessent. Addunt, ab ea voluntate non fuisse alienam etiam patris, qui omnem suum thesaurum illi reliquisset. Eodem tempore Maximilianus Caesar, reges Polonus et Bohemus nuntios expediunt suos ad proceres Ungariae, benevolentiae et regni quisque sibi conciliandi ergo. Sed tum regina Beatrix hausto iam in Olomucensi congressu amore de nuptiis cum Ladislao admodum formoso clandestine tractans, primates in suam sententiam largitionibus et precibus traduxit, Ladislaum uti regem suum pronuntiarent. Non defuturam illis unquam regis gratiam et amicitiam, multo minus regno tuendo custodiam. Quare de communi consensu Ladislaus frater Sigismundi Poloni eligitur, quique hoc illi denuntient in Bohemiam legatos mittunt. Rex nuntio tam laeto nec sperato accepto ex Bohemis et aliis quas potest manus facit, quorum comitatu, quia diversas adhuc quorundam de spurio Matthiae sententias audiebat, ad Sempthe arcem Vago circumfluo munitissimam consedit, donec quid omnino futurum esset certo cognosceret. Fecit etiam id quia Caesarem ingentem eduxisse exercitum intellexerat.

Maximilianus sub idem tempus Vienna sine difficultate et quasi annuente Ladislao potitur, retenta arce, in qua Stephanus Scepusiensis praesidium abiens reliquerat. Sed subversis muris, et ad irruptionem aditu patefacto sese quoque dedunt. Qua ipsa occasione Closterneuburgum et vicina loca similiter recuperantur. Ipso hoc anno Albam regalem quam Paulus Kynisy apto milite et commeatu bene copioso tenebat, Caesar adiunctis omnibus fere Ger-



maniae proceribus circumsedit, eamque vigesimo quarto die obsidionis, non sine caede suorum expugnat. Mox Vespri-  
mum, non ita pertinaciter defensum, una cum aliis castris fortissimis et ad quamvis oppugnationem infestis eiusdem Kynisii capitur. Marte satis felici Maximilianus usus: persequi tamen victoriam Germani haud scivere. Etenim quod stipendii solutione milites caruerant, praeda memorabili istic potiti ulterius progredi Caesare postulante nolebant, sed passim relicto praesidio Viennam, suorum inobedientia, revertere coactus est.

His ita gestis Ladislaus anno proxime secuto Budam immenso exercitu ingressus conventum indicit, quo de praesidiis Germanorum eiiciendis regnoque eliberando prorsus concludatur. Eo paucis diebus expedito, quae ad salutem regni et fines purgandos attinebant decreta serio fuere. Pauloque post Caesarianis praemonitis, si se salvos cuperent libere discederent; eandem Albam gravissime obsidet, ac brevi cuncta restituit. Qua re factum etiam, ut sine ulla controversia ibidem diademate Stephani regis de more confirmaretur. Quem Ladislai successum permoleste quidem Maximilianus tulit, sed ob negotia imperii tum absens, rebus uti voluisset succurrere nequibat.

Tandem crebra legatione utrinque de pace inter eos perpetua tractari coeptum est, certis id legibus et transactione veteri, qua domus austria niteretur, cum Ungaris iam inde ab Alberto facta. „Ambo dimitterent exercitus; praesidia tollerentur; atque si Ladislao vita functo haeredes masculi superessent exigua pensione ius illud ab Austriis quotannis, redimeretur; haecque conventio perpetua et lex firma esset. Sin aptum regno successorem non relinqueret, pacta valere Austriis debere.“ Verum Ladislaus Beatrice repudiata ex nepte sororis Galliarum regis Annam et Lodovicum suscepit.

Sub annum XIII supra MD. Turca cum in alias Ungariae partes hostiliter incursaret, semper eius saluti insidiatus; tum vero in Croatiam maximo cum impetu et



vi apparatus transit, istieque oppidum fortissimum unde pacis et bellorum spes illius regni pendeat, Thinninium invadit. Quod hoc citius adepturum se putabat, quia regem nonnihil otiosum inopemque; Caesarem autem ac Polonum aliis bellis occupatos noverat. Claruit id temporis consilio et opibus illustris Thomas Cardinalis archipraesul Strigoniensis, qui ut periculum imminere Ungaris extremum, nisi aliter provideretur sensit; tamen regem non ita pecuniosum thesauro ut minus iuvaret, milites se gratuito mox coacturum promittit. A Leone igitur X pontifice, qui Selymum Italiam aggredi prius quam Ungariam, constituisse intellexerat, ideoque corruptis quibusdam Ungariae proceribus, ne cum Selymo perpetua pax fieret impedierat, totius christianitatis auxilia pollicitus, diplomata aufert, quibus remissio delictorum et vita sempiterna qui pro nomine Christi propriis sumtibus arma capesserent, denuntiaretur.<sup>1)</sup> Ex qua demum indulgentia imperita multitudo iam diu a nobilibus vexata eos spiritus ac licentiam sumsit, ut quas cum Turcis manus conserere vellet, primum suorum nobilium caede et sanguine imbuendas clamitaret. Aliter se vel Turca repulso, quam speraverat quietem nunquam habituram. Pervicit opinio confusae plebis, nec illius mentem quidquam sanare, aut revocare in memoriam eius potuit, cuius amore, signo crucis vestibus praefixo, ad societatem et militiam se contulissent. Hinc exortum in Pannonia horrendum illud rusticanum et servile adversus nobilitatem bellum. Etenim re varie et turbate satis ab illis gesta, optimis quibusque de medio sublatis, spe interim veniae perpetuae retenta, suae libidini furenter pene satis permiserunt. Donec prae ceteris a Joanne Vayvoda magnae spei iuvene, Georgio et Luka Sekelis, praefectis eius aestus et seditio- nis captis, multoque maxima parte caesa rusticorum, pau-

<sup>1)</sup> Hunyadi János idejében kevés haszna volt a kereszteseknek, mikor Landorfejérvár segítségére ment. Itt sokkal inkább kevesebb. Nota marg.



eis dispalatis, et in sua loca dilapsis incendium exstingueretur.

Quocirca rex animo et viribus cum nobilitate receptis, omnem cogitationem ad pacem optatam et salutis conservationem contulit. Itaque rebus tunc prospere gestis ac universis bene constitutis, anno MDXV quo christiana res vigeret, et adversus Dei hostes magis cresceret, sumtu maximo, inusitato comitatu Cardinalium episcoporum ducum et totius fere Germaniae nobilitate, studio coniungendarum voluntatum, et praecipiendae occasionis turbarum, de successione Ungarica quae excitari potuissent: Maximilianus cum Ladislao eiusque liberis ac Sigismundo Polono ad oppidum Pruk prope Laytam fluviolum conveniunt. Ubi dextris peramice iunctis a Maximiliano Viennam invitantur, hospitalitatem et animum se illis declaraturum inquires, qua nuptiae fieri et affinitas existere possit. Quapropter Viennam imbris quidem obruti, sed laeti ingrediuntur; Ladislao cum liberis in arce hospitio dato, Polono autem in aedes leporinas sic vocatas deducto. Ibidem cuius causa Caesar istud omne cupiebat, ut ex nepotibus alteri filiam regis nuptiis illigaret, facile perfecit, ut XXII. Julii concordia principum vulgo recitata et supplicationibus in S. Stephani aedes institutis iuste confirmata, nuptiae binae, et illae vicissim factae iungerentur. Etenim Maximiliani neptis Maria Lodovico iam tum regi datur, huius contra soror Anna Caesaris nepoti Ferdinando Austriae desponsatur.

His ita feste peractis Ladislaus Budam cum Ludovico reversus, et filia Viennae relicta, cum procerum odia dissimulasset, podagricus et multa carne et pinguedine gravis, nono post mense vita Budae fungitur. Visus est multis hic rex ad otium et pacem, quam bellum et gubernationem magis aptus. Nam suarum rerum nimis negligens, et profusus, interdum quod mensae apponeretur vix habuit. Cetera sanctissimae vitae, perpetuis deditus precationibus adeo fuit, ut quibusdam ubi procubuit, visus sit interdum divinitus a terra sublevari. Sed et huic impro-



bitas malorum, quod linguae ungaricae prorsus expers fuerat nocuit, et de gloria non parum detraxit. Praefuit imperio annos XXIV. Sepultus Albae, ubi ceteri reges Ungariae.

## Index XXXIX.

Lodovicus patre adhuc vivo in ipsis cunis rex Ungariae creatus et insignitus corona fuit. Anno vero aetatis suae quarto Bohemorum etiam rex dicitur, et coronam consequitur. Fuit is corpore valido bene sano, colore subfusco, ad quaevis solatia natus, nemini molestus, largus; sed ante tempus adolescens canos aliquot capillos alebat. Amabilis et placidus natura, ingenio satis excitato; sed ab ortu et formatoribus neglectus, tum perpetua Ungarorum negligentia et seditionibus factum, quominus sese exercere et cum autoritate imperare fuerit assvetus. Qui enim antistites et alii a consiliis aderant, obtinere ius et summam rerum volentes, laeto semper animo esse debere, atque negotia publica in ipsos conferenda persvaserunt. Ea re factum quod cum Turca iam pridem in Ungariam, oblata occasione penetrare cupiisset, quod satis ostendit, septem annos Barnaba Belay Severinensium Bano iam a Ladislao pro pace misso, apud se detento ac ea denegata postea remisso. Ut cladem a Parthis acceptam amisso patre resarciret, regnumque stabiliret suum, Ungaros convivii et theatri deditos sentiens, maximo cum apparatu expeditionem decrevit, ac bellum formidabile movit. Quod eo felicius ursit, quia regem a suis pro puero haberi, et aliorum prorsus niti consilio intellexerat. Multos praeterea aemulos regni, turbas et prodiones domesticas vigere; nullum ducem bonum, denique non parum ad rem bene gerendam sibi profuturum, quod omnes pene christianos principes intestinis ordiis ardere, mutisque bellis longe ab Ungariae finibus distineri, et sese conficere animadvertibat.



Ratus nimirum aut nullum aut serum nimis externum Ungaris affore subsidium. Nec aberravit.

Quare magno in Ungariam furore concepto per loca quae ante annos septem prohibere accessu potuissent, Belgradum receptum, ad alia transit. Atque etiam Salankemen et Varadino Petri captis, et arte sibi communita via, trajecto nostrorum socordia Dravo, Tolnam nemine impediante applicat. Quo nuntio rex accepto et percussus animo, voluptuosis proceribus statim legatos cum precibus quoquo versus dimittit, per fidem et religionem obtestans, nisi civilia odia et arma deponant, hac vice de universo nomine christiano et salute actum fore: de communi igitur consensu, undique copiis quamprimum coactis iam succurrant. Verum illi tardius quam par erat in animum preces Lodovici admiserunt. Quamobrem denegatis passim thesauris etiam Ungarorum, quae merito ad communem libertatem exponi debuissent; rex miserandus exercitu ad 25000, ex pietate ac dolore furorem hostis reprimere quamvis omni externa suorum ope destitutus conatur. Sed unica spes reliqua fuit in adventu Joannis Vayvodae, iam dudum non obscure regnum appetentis, qui validissimas copias de Transilvania moverat. Tamen quorundam etiam episcoporum sive malevolentia sive importunitate atque convitiis in regem factum, ut non exspectato Vayvoda ingruente autem Turcorum saevitia infelix rex alienis consiliis affixus incaute se opponeret, et mox animose praecipitaret. Nam promotis ad Mochacz oppidum castris aequo in loco, quia hostis valde numerum exiguum sine ductoribus et tormentis vidit nostrum: nihil differendum statuit, sed proelium committendum. Cunctis ergo a rege quoque per Paulum Tomori, hominem tum nonnihil temerarium, confuse ad certamen dispositis: cum aliquando nostros procurationibus et levibus proeliis exercitos attrivisset, tandem ultimo nostris quoque etiam in aciem utcunque deductis et ordinatis, manus longe impares et



summas adeo copias 29 Augusti<sup>1)</sup> conserunt. Sed regius exercitus facile et miserabiliter offuso terrore caesus et fugatus brevi est. Ubi amplissimi quique praesules et barones ignominiose occiderunt. Lodovicus etiam ipse hostis manus effugere volens, ex media caede in lacunam quamdam, ex stagnatione Danubii equo delatus, quod armis gravabatur ibidem submersus interiit. Cuius tandem cadaver integrum post duos menses indicio cuiusdam Cetricz nobilis Bohemi inventum, ac in Alba regali perhonorifice summa cum luctus omnium contestatione fuit sepultum.

Sed illi ipsi authores ac regis socii qui Ungaria cum rege in exitium deduxerunt, haud impune evasere. Siquidem cum spoliis corporis ipsorum capitibus praecisis ovanibus Turcis ludibrio exstiterunt. Ac solius tantum regis Caesar misertus, in caput Ungarorum, qui non aliter sibi resistendum statuissent suumque regem perdidissent minas periculaque detestatus. Hic fuit miserabilis exitus Lodovici, hoc imperium nunquam sanum, nullis firmatum vel praesidiis vel consiliis baronum. Quisque enim dum sibi clam dominatum et avaritiam proponebat, neglecto rege, atque publica tranquillitate postposita conciderunt.

Solymanus victoria celerius quam forte voluisset potitus, recta Budam pergit, ubi omnibus in praedam versis una cum Pestho eam, oppido mercatu celebri, contra ipsam posito, igni penitus exurit. Regina Maria onustis aliquot navibus comitatu promiscuo civium et suorum, Posonium non sine molestia evasit. Non diu tamen Solymanus in Ungaria permansit sed regis Persarum metu, et domestici cuiusdam seditione coactus, vacuum omni praesidio regnum deserit, ac domum festinat.

---

<sup>1)</sup> In editione prima perperam 30.



## Index XL.

Excipit regnum Ferdinandus divinitus omnium voto nunc confirmatus Caesar, Hispaniarum infans, iure suo, ac foedere non solum connubiali, sed etiam maiorum suorum conventionibus. Sed non sine difficultate atque studiis Ungarorum vehementibus et diversis illud est consecutus. Nam Joannes Vayvoda, qui flagrans cupidine regni, iam dudum sibi illud propositum habebat, non obscure quid animi tum adversus Lodovicum, tum vero Ferdinandum haberet, quidque semper molitus sit, in interregno ipso demonstravit. Jam enim a conventu illo Pesthiensi, ubi omnia loca suis armis obsederat, dum de confirmanda Lodovici gubernatione tractatum esset, quid ambitio, prehensiones et id genus artes possint, experiri ausus est. Quibus haud parum ipse profecit. Siquidem mortuo Lodovico, ad praeripiendam Ferdinando haeredi coronam barones subordinavit, et promissis innumeris, ut a multo maxima parte rex crearetur obtinuit. Sed infaustus illi dominatus, et semper inconstans, adeoque cladibus saepe cumulatus exstitit. Etenim Ferdinandus conflato exercitu paratissimo recta Budam ut obsideat discessurus, desperatis Vayvoda suis rebus, profugit. Fuisque eius passim et caesis copiis, satis Ungarorum societate firmatis, nusquam tutus esse potuit, et diu in Polonia hospes latuit. Donec se suosque una cum regno ad extrema deductus, in turpissimam tutelam, sive potius miserandam servitutem Turcae abiecerit. Quo tandem variis precibus ad restituendum sibi regnum evocato, imperium cum ipse suum amisit, omnesque posteros in tyrannidem dedit: tum vero cunctis christianis negotium praebuit, et sollicitudinem importavit maximam. Sed spes est fore, tametsi mobiles adhuc quorundam Ungarorum animi videantur, ut huius ipsius Ferdinandi pientissimi Caesaris non solum precibus, sed manu quoque et potes-



tate valida vis et furor Turcarum brevi repressus, penitus cesset: nec amplius christianorum saluti queat imminere. Sed quod ad hunc regem attinet, non deerunt, qui memoria et stilo recenti, quid amore christianorum molitus sit, quid susceperit atque audeat, fideliter et copiose notabunt. Haec appendicis loco nunc sufficiant.

---



# Excerpta

**e duabus huius operis seculo decimosexto factis  
dedicationibus.**

## 1. CODEX.

*Fr. Joannes de A. Siculus Panormita, O. Praedicatorum, sacrae Theologiae prof. Reuerendissimo in Christo Patri et Domino Thomae archiepiscopo et principi Strigoniensi,<sup>1)</sup> sanctae Romanae ecclesiae tituli sancti Martini in Montibus presbitero Cardinali dignissimo suppliciter se commendat.*

— — — Scripsit post plurima suorum monumentorum annaliumque haec quoque Petrus Ransanus Siculus Panormitanus, Lucerinus olim praesul, diui Praedicatorum ordinis professor, cum legatione ad illustrissimum Mathiam regem Pannonum, pro Ferdinando Magnae Siciliae rege fungeretur. Quod operis prioribus a se grauissime ac fidelissime scriptis annectens LXI-um annalium omnium temporum nominari voluit. Ab initio autem gentis principum regumque illius ideo exorditus est, perque triginta et septem Indices opus distinxit, uti omnibus cuiusque principis ac regis cuiusque temporis felicia, minusque prospere gesta in promptu, essentque ad manum. Eum autem virum sicut multiugi doctrina ornatum, sic multifaria et omnimoda historia, ac dulci quadam, et ut ita dixerim natia eloquentia lepidum, ac bene tersum, et quod historiam gratissimam reddit, nunquam effusum prolixius, aut mancum decurtatumque; sed medio se quodam methodo emunctissime continentem, tu in primis Pater Reuerendissime nosti, quando homini pro tua humanitate fueris amicissimus, dum

---

<sup>1)</sup> Bakach ab Alexandro VI in numerum Cardinalium cooptatus vergente anno 1500.



circa eadem tempora divi Mathiae regiam coleretis. isthaecque lepidissima eius epitomata (sic enim et ipse ea appellat) legenti cuilibet — —. Quae cum iam olim ad meas devenissent manus; utpote Reuerendi huius Patris affinis et pronepos, ut ipse Siculus, patria Panormitanus, eiusdem Ordinis professor, in eodemque cenobio praefatae religioni addictus, interque theologos, ut ille, imparibus licet meritis aggregatus, multa sum saepissime meditatus, quid mihi de his faciendum. Occurrebat autem ut dixi nullus cui dederentur, eo sublato cui inscripta fuerant; et ea latere scelus rebar ingratitudinis atque ignaviae. Sicque in varia agitatus animus suadebat, hortabatur, differebat; sed eo magis, quod imperfectum contemplabatur opus. Non enim habentur quae ultimus repromittit Index. At id forsitan ideo euenit, quod apud scriptorem cum Reuerendus hic Pater diem obiit, ea tenebantur. Quae tamen ultima regis Mathiae gesta, propterea mihi facile fuisse suadeo, quia pacato undequaque regno, rebus ad quietem deductis, ipse gloriosus rex, dum ad decorandum multiplici solertia regnum mentem appulit, e medio sublatus est; non multoque post scriptor egregius benedictam efflauit animam. Operi vero, quasi ipsum perfecturus, pro eo haud manus apposui, quoniam earum rerum nulla mihi certa cognitio, quae tamen unicuique historico necessaria est. Videnne Pater amplissime quo me mea haec adduxerit haesitatio? Ad hoc certe ut Romam veniens, qua gloriosa urbe Coruina familia orta, ex qua diuus ipse Mathias genus traxit, de quoque, ac eius genitore omnifariam famigerato splendidissima multa ac memoratu dignissima inseruntur, tibi auctoris amicissimo, cui et non alteri cuiquam, diuo Mathia sublato, tamquam principi fortissimo, patrono pientissimo, Patrique Reuerendissimo, si auctor ipse viueret, offerret: et librum et me ipsum pariter dederem, et offerrem. Suscipe ipsum igitur Pater Reuerendissime, nobilissimis, maxima sui parte ut ab auctore scribi iussus est characteribus exornatum. Tibi enim illum dono, una mecum offero et dedico. Nunc primum autem



latebras egressum, tu qui gentis pannonum decus es iubar sidusque fulgidissimum, tuo inquam lumine illustra, eatenus, ut omnibus in posterum pateat, ac velut celtico protectus clipeo cunctis se intrepidum exhibeat, etc.

## 2.

## Joannes Sambucus Tirnaviensis.

*Serenissimo ac Illustrissimo principi Maximiliano regi Bohemiae archiducique Austriae, Domino suo clementissimo S. D.*

Variae apud antiquos rationes colligendarum historiarum, quibus omnibus res praeclare gestae conservare, atque memoriam tueri possint, fuisse videntur. Hic vero author per Indices quosdam regum a Beatrice sibi Vienneae datos, ex iisdem unde Bonfinus sua descripserat, ita deduxit ac illustravit, ut qui de rebus Vngaricis aliquid prodiderunt, nulla ex parte sit illis postponendus. Etenim hac breuitate cuncta eleganter est complexus, ac nihil quod in historia requiritur usquam omisit. Atque hoc nomine hic scriptor vel praecipue cognoscendus, quod aliqua in Bonfino vel interrupta vel mendosa, librorum incuria cum sint; hinc omnium admoneri, et non parum ad sinceram et integram veritatis cognitionem iuvari queamus. Taceo quod animus noster hoc magis acquiescit, quod plurimum consentientes sunt narrationes, ac testatae velut commemorationes. Non ideo tamen Bonfinus ipse negligendus, qui amplissime res quoque externas prosecutus est; sed ob breuitatem hic etiam commendabilis, et in quibusdam omnino praeferendus. Qui cum diu latuisset, (uti adhuc reliqua eius desiderantur, quippe qui annales omnium temporum alios LX scriptos, et hunc LXI et ultimum reliquerit) a me, opera quorundam amicorum denique lucem adspicit, dignus qui ante Bonfini natalem apparuisset. Eius Indicem ultimum, duobus continenter adiectis supplui, atque tertium quoque incohatum addidi,



idque simpliciter et quam brevissime; donec ea ipsa continuatio, vel a me, vel ab aliis copiosius descripta aliquando prodeat. Tibi autem Maximiliane rex potentissime qualemcunque hanc meam diligentiam velim probari, qui ut aliis in rebus prudenter et constantissime iudicas, ita in historiarum lectione, ubi quid otii nactus es, libenter et iucundissime versaris, etc. Viennae XV Martii MDLVIII.

---



## Disquisitio

**de anno natali, et annis regiminis S. Stephani regis.**

### I.

Natalem sancti regis annum reticent Legendae quae ad nostram pervenerunt aetatem. Olim tamen quamdam earum hunc etiam annum exhibuisse testatur Keza, et utraque chronicorum nostrorum editio. Keza fonte quidem non nominato, sed verbis ad Legendae maioris visionem pertinentibus usus scribit: „Anno dominicae incarnationis DCCCCLXVII Geicha dux *divino praemonitus oraculo* genuit sanctum regem Stephanum. (Font. II. 77.)

Chronica nostra annum natalem e Legenda sancti se accepisse testantur: Geycha *divino praemonitus oraculo* anno dominicae incarnationis nongentesimo sexagesimo nono, *quemadmodum in Legenda beati Stephani regis scriptum est*, genuit S Stephanum regem ex Sarolth filia Gyula.“ VP. et D. (Font. II. 138. et III. 42.)

Tertia anni natalis designatio legitur in annalibus Polonorum praecipue codice Kamenzensi, per doctissimum Wattenbach nostra aetate detecto. „Anno DCCCCLXXV Stephanus rex Vngarie nascitur.“ Annum hunc commemorant etiam annales Cisterciensium in Heinrichow, ubi post narrationem nuptiarum Adelheidis sororis Meschonis primi, cum Jesse sive Geiza nostro celebratarum, subiungunt: „Ista post visionem per beatum Stephanum, protomartyrem sibi revelatam, concepit et genuit Stephanum regem Vngariae anno domini DCCCCLXXV.“ Annales hi ad interpolatam codicis Warsawiensis legendam Hartvicia-



nam provocant, ubi hodie nihil de anno natali legitur. Vide Font. I. 71—72. Pertz SS. XIX 58 et 544.

Ceteri scriptores sancto regi aetate aequales vel suppartes annum hunc vel silentio praetermittunt, vel vage tantum designant. Sic chronicon episcoporum Verdensium: „Temporibus Brunonis decimi sexti episcopi Verdensis S. Adalbertus Pragensis episcopus Stephanum regem Ungarorum cum multis baptizavit.“ Leibnitz. SS. rerum Brunsv. II. 215. Bruno episcopus ordinatus est anno 962, obiit vero VII Idus Martii 975. Si chronographus hic cum Legendae maioris auctore Stephanum infantem fuisse christianis sacris initiatum intelligit; relatio eius omnes tres natalis anni signationes: 967—69—975 complectitur; quamquam peccet in persona baptizantis; nam Adalbertus Pragensis episcopus, sacramentum hoc Stephano, nonnisi post annos octo (983), defuncto iam Brunone conferre potuit.

Ex diversis his annorum notis difficile est decernere quae sit praefenda; nec nisi consideratis aliis certioribus rerum circumstantiis, de tempore maxime congruo statuere possumus.

Constituendus est in primis certus annus emortualis sancti regis, de quo magis adhuc variant auctores, quam de anno natali.

Legenda minor et Hartvici codex Pestiensis annum habent 1038. Ceteri codices Legendae Hartvicianae non consentiunt: Runensis 1033; Lunaelacensis Corsendonckanus et Cracoviensis 1034; Vindobonensis annum adsignat 1037.

Chronica nostra maiora de hoc anno nihil; Zagrabienne et Variadiense cum Bonfinio annum ponunt 1034; Genealogiae regum codex Toldyanus et Knauzianus 1047. Adnotationes chronologicae seculi duodecimi et recentiores scriptores Turócicus cum Ransano annum designant 1038. Exteri quoque annalium scriptores, quod ad annum hunc regis emortualis attinet in diversa abeunt.



Nos auctorum synchronorum testimoniis nixi annum 1038. certitudine firma positum tenemus.

Wippo: „1038. Eodem anno Stephanus rex Vngariorum obiit, relinquens regnum Petro filio sororis suae.“ SS. XI. 273.

Herimannus Augiensis: „1038. Ipso anno Stephanus Vngariorum rex — Petrum sororis suae filium pro se regem constituens obiit“ SS. V. 123.

Annales Altahenses: „1038. Stephanus Vngariorum rex in die Assumptionis sanctae Mariae terminum fecit carnalis vitae“. SS. XX. 793.

Postquam in determinanda regis nostri aetate punctum unum fixum nacti sumus, iuvat hinc respicere, et videre, quot annos vitae pro triplici veterum de natali anno opinione, Stephano adtribuere possimus.

Ab anno 967 usque 1038 sunt anni 71.

Ab „ 969 „ „ „ „ 69.

Ab „ 975 „ „ „ „ 63.

Discrepantia inter haec tria annorum octo.

Operae pretium erit investigare nunc an aetas sancti regis ex occasione rei alicuius gestae memoriae prodita sit.

Legendae et chronica nostra annos tantummodo imperii adnotarunt: tempore suscepti post obitum patris imperii quot annos natus fuerit nullus antiquorum memoriae prodidit. Puerum unus, alter iuvenem — adolescentem eum appellat. Solus Petrus Ransanus episcopus Lucerensis Ferdinandi Siciliae regis in Hungaria legatus, ex monumentis certe historicis a rege Mathia, cui opus suum dedicavit ad usum ei concessis, adfert momenta duo: Peregrinationem eius romanam anno aetatis trigesimo tertio susceptam, et obitum post exactos annos vitae tres et sexaginta: „Vixit annos tres et sexaginta, agens aetatis annum tertium et tricesimum urbem Romam petivit, ut maximo pontifici exhiberet reverentiam et obedientiam, qua iure illi erat abnoxius.“ (Ind. IX. supra pag. 192.)



Aetas in exitu vitae Stephano per Ransanum adtributa congruit cum definitione tertia natalis eiusdem regis; anno nempe 975.

Res est animadversione digna aetatem hanc vitae non commentum auctoris esse: adversatur enim iis, quae ipse paulo superius chronographos veteres secutus scripserat: „Geicha suscipit filium ex Sarolta Giulai viri nobilissimi filia anno ab ortu Domini nostri generis humani Salvatoris *sexagesimo nono supra nongentesimum.*“ (pag. 186.) Quia vero annum etiam et diem emortualem recte designavit: „Anno humanae salutis tricesimo octavo supra millesimum, XVIII Kal. Septembris;“ — aetatem regis facile eruere poterat e differentia temporum: 1038—969=69. Numerum certe 63 a vetusto aliquo Stephani biographo habuisse potuit, cuius opus vel aetatem non tulit, vel alicubi delitescit.

Alterum existit ad stabiliendum annum natalem 975 argumentum ex sequenti Ransani adnotatione; regem nempe annum egisse vitae trigesimum tertium, cum Romam versus iter ingressus fuisset. Melchior enim Inchoffer peregrinationem hanc, si unquam facta est, anno Christi 1007 adsignavit. (Annal. Eccles. Tom. I. Vol. III p. 342—3. Edit. Poson.) Clarissimus Katona historicorum nostrorum princeps, ut annos aetatis 33 a Ransano traditos ad suam de natali Stephani coniecturam, annum scilicet 979 accommodare possit, iter hoc ad annum 1012 retulit; (1012—979=33.) veritatemque facti testimoniis chronicorum maiorum et Pelbarti confirmavit.<sup>1)</sup> „Apparet, antiqua monumenta, quibus isti scriptores usi sunt, eiusdem

<sup>1)</sup> In memoriam et honorem curie Romane quam corporaliter visitarat. (Font. II 142 et III. 46.)

Beatus Stephanus veniens Constantinopolim ibi quoque ecclesiam magnam erexit; demum declinans Romam ubi sub titulo B. Stephani protomartyris hospitale construxit Hungaris limina apostolorum visitantibus. (Font. I. 85.)



Romanae profectionis meminisse. Quare de hac re quidem non ita potest dubitari, sicut de Constantinopolitana sancti regis peregrinatione." Hist. Crit I. p. 174.

Ransani annus trigesimus tertius mire convenit cum Inchofferi sententia anni 1007. Qua ratione ductus posuerit Inchoffer annum peregrinationis millesimum septimum, non liquet. Accommodationis certe causa non fecit; eius enim opinione Stephanus natus est anno 985 (loco cit. p. 291.) fuissetque anno 1007 natus annos 22, initio vero imperii sui, puer tantum annorum duodecim.

Annus igitur natalis sancti regis a Polonis traditus 975 optime congruit non solum cum anno aetatis sexagesimo tertio, quo Stephanus teste Ransano vita functus est: sed etiam cum anno eiusdem trigesimo tertio, cui ex opinione Inchofferi Romana peregrinatio adsignari potest. Nam 1007—975=32 annus nempe Stephani trigesimus tertius agebatur, nondum erat completus. Hunc etiam aetatis annum e *Vita b. Stephani* habuerit Ransanus, cuius mentio occurrit in elencho operi praefixo.

Restat ut de annis Kezae et ceterorum chronicorum pauca dicamus.

Annus DCCCCLXVII apud Kezam videtur e librariorum minus attenta lectione ortum habuisse. Steterit in autographo DCCCLXXV; scriba vero pro finali X posuerit V, et pro negligentius exarato V legerit II.

Annus 969 chronicorum confictus fuisse videtur ex accommodatione temporum ad episcopatum Adalberti Stephanum recens natum baptizantis. Cosmas enim Pragensis (1045—1125) erectionem episcopatus Pragensis ad annum 967 — obitum vero Dithmari primi episcopi et electionem Adalberti refert ad annum 969. „Facta est autem haec electio non longe ab urbe Praga Levigradec in oppido XI Kal. Martii eodem quo obiit Dethmarus episcopus anno (DCCCCLXIX)“ Pertz SS. IX. 50. Nec accuratior est chronotaxis Alberici, seculi XIII-i scriptoris:



„978. S. Adalbertus Pragensis episcopus cognomento Wichet sanctitate et doctrina apud Windos claret.“ Leibnitz. Access. hist. II. 22.

## II.

Quod ad annos regiminis sancti regis Stephani atinet, hi quoque varie numerantur. A coepto scilicet imperio, vel a coronatione.

Chronica nostra maiora annos 46, — Hartvici codex Pestiensis 45, — Adnotationes chronologicae 44 — Chronica Zagrabiense et Varadiense ante coronationem 8, post eam annos 33, menses 7, et dies 14 (=41 1/2. Font. III. p. 252) numerant.

Initium imperii Stephanei post obitum patris (997) ponendum esse veteres Legendae docent. Minor: „Filio arci regni *sublimando* uxorem nobilissimam duxit. *Post patris obitum* Stephanus favore principum et plebis *in regni solium* laudabiliter provectus.“ §. 3—4.

Maior: „Convocatis pater suus Hungariae primatibus cum ordine sequenti, filium suum *post se regnaturum* populo praefecit.“ (Post mortem vero patris) „regno Pannico beati iuvenis *nutum attendente*.“ §. 5—6.

Hartvicus in sua compilatione locum hunc Minoris Legendae suppressit, quia *puerum* uxorem duxisse parum credibile ipsi videbatur; nihilque e paragrapho illo in suum opus transtulit, praeter locum natalem Strigonium, et institutionem pueri grammaticalem. Putabat etiam Stephanum iura regalia vivente adhuc patre exercuisse; ideo inseruit codici Pestiensi eum 45 annis „coronam imperii gestasse“ quam tamen observationem librarii ceterorum codicum Hartvicianorum omittendam duxerunt. (Font. I. pagg. 3, 15, 38, 62.)

Perperam igitur adfirmant chronica nostra 46 — adnotationes vero chronologicae 44 annos regiminis; Font. III. 212.) nullo enim veterum suffragio nituntur. Incepit



regnare Stephanus anno 997, desiit anno a suscepto regno quadragesimo primo vel secundo. Si nempe Geiza ante 15-am Augusti obiit currebat Stephano vita excedente annus regiminis 42-us. Si vero mors Geizae post mensem Augustum evenit, agebatur adhuc annus quadragesimus primus. Tot etiam nec plures regiminis annos tribuunt ei Chronica Zagrabiense et Varadiense.

Si vero a coronatione placet incipere, quae maxima similitudine veri anno 1001 facta est; obiit S. Stephanus anno regiminis trigesimo septimo vel octavo, secundum mensem et diem quo coronatus est. Si hoc contigit ante mensem Augustum currebat tempore obitus annus 38-us; si vero 15-a Augusti vel serius, — annus 37-imus vix vel nondum erat completus. Vide observationem nostram de annis regiminis Stephanei in fine disquisitionis de aetate et fide legendae Hartvicianae. Font. I. p. 219.

Commento annorum regiminis 46 ansam dederit opinio nonnullorum, Stephani proximum in regno successorum fuisse Andream, quem noverant coronatum anno 1047. Nec mirum si curiosus aliquis chronicorum consarcinator ex collatione temporum coronationis Stephani (1001) et Andreae (1047), annos 46 regiminis Stephanei statuendos esse existimarit. Genealogiarum codices 2 et 3 hanc temporum rationem adoptarunt, reiecto tamen post Petrum et Abam Andrea; quorum regna deinde per annos 22. usque ad annum 1069 producant.

Error hic scriptorum ex illa, iam usque ab Andreae I temporibus ducta opinione videtur ortum habuisse, qua statuebatur, Petro et Abae nullum fuisse ius succedendi in hoc regno, nec esse eos in regibus Hungariae numerandos. Chronicon Zagrabiense diserte affirmat: „Post obitum S. Stephani regnum vacavit vero regimine“ usque ad coronationem Andreae. (Font. III. 252) Andreas II primum Andream, secundum regem appellat: „Tenor privilegii primi Andreae et *secundi regis Hungariae* est talis.“ 1235. C. D. III. 2. 423. Bela IV Petro titulum regis abiudicat:



„Per literas primi Belae regis, qui dum in partibus Poloniae propter Petrum, *qui nomen regis sibi potenter Hungariae adscripserat*, pro tempore mansisset.“ 1245. C. D. IV. 1. 393. In serie denique octo priorum patriae nostrae regum, post S. Stephanum Andreas ponitur. (Vide supra pag. 88.) Meminit etiam Ransanus annorum 47 sed spatium regiminis designat: „Regnavit annos septem et quadraginta; seu ut malunt alii sex et triginta.“ Indice. IX.

